



Nr. 18.

IO. IAC. RAMBACHII,

S. S. THEOL. PROF. ORD. IN REGIA  
FRIDERICIANA,

INTRODVCTIO

HISTORICO-THEOLOGICA

IN

EPISTOLAM PAVLI  
AD

ROMANOS.

---

ADIECTA EST

MARTINI LVtheri

AVREA PRAEFATIO,

VARIIS OBSERVATIONIBVS EXEGETICIS AT-  
QUE APOLOGETICIS ILLVSTRATA.

EDITIO SECUNDA, DENVO RECOGNITA.



---

HALAE  
SVMTIBVS ORPHANOTROPHII,  
M DCC XXX.

# ДИСАЯМЯ ГАІ. ОІ ЛЮДІ ВІЛО ВОЙ МОНТ. 2. 2 СІГОУДІЯТИ АЛЮОНТ СІЯСТАН ІІАЯ МІЛІГЕЯ ДІДІА САІ. 2. 2 ЗОНДІЯ

АТОНІА  
ДІЛІЧАДІА  
ВАДЕР ПРАВЛІАН  
ВАНІС АБІС ВІСІМІСІНІХ  
ДІЛАЛІЛІНІСІНІХ  
ЛІСІЛІЛІНІХ  
МІЛІЛІНІХ  
ОІЛІЛІНІХ  
ПІЛІЛІНІХ  
СІЛІЛІНІХ  
ІІАЛІЛІНІХ  
ІІІАЛІЛІНІХ  
ІІІІАЛІЛІНІХ  
ІІІІІАЛІЛІНІХ



ДІДІА  
САМІВАС ОРІАНДІОГІІН  
МІССІКІ

VIRO SVMME REVERENDO,  
GRAVISSIMO ATQVE DO-  
CTISSIMO,

IO. CHRISTOPHO-  
RO MEVRERO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI  
DIGNISSIMO,

SVPERINTENDENTI ECCLESI-  
ARVM ATQVE SCHOLARVM VETERIS  
MARCHIAE PRIGNITIAEQVE GENE-  
RALI, INSPECTORI ET PASTO-  
RI STENDALIENSIVM PRI-  
MARIO VIGILANTIS.  
SIMO,

FAVTORI ATQVE AMICO  
SVSPICIENDO,

HANC  
INTRODVCTIONEM  
HISTORICO-THEOLOGICAM  
IN PRAESTANTISSIMAM PAVLI  
AD ROMANOS EPISTOLAM  
GRATA MENTE  
ET RECENTIVM BENEFICIORVM MEMORI  
DICAT ET OFFERT;  
MAIORESQUE INDIES SAPIENTIAE AC  
ΠΑΡΡΗΣΙΑΣ  
EVANGELICAE PROFECTVS,  
VALETVDINIS ROBVR INCONCVSSVM,  
SANCTAM ANIMI SERENITATEM,  
MVNERVM DENIQUE GRAVISSIMORVM  
EXOPTATISSIMOS SVCESSVS,  
AB OMNIS GRATIAE FONTE  
ADPRECATVR

A V C T O R.

FAVATORI AVTORE AMICO  
SASPICENDO Bene-



Beneuolo Lectori

Lucem ac sapientiam diuinam  
adprecatur

IO. IACOBVS RAMBACHIVS.

PRæfens tractatio, be-  
neuole lector, exercitationi a-  
cademicæ, ad disputandum  
publice proponendæ, a me destinata  
erat. Quum vero inter manus o-  
pusculum cresceret, ac fere modum  
dissertationis excessisse videretur:  
mutauit amicorum suasu, consilium,  
quasque in chartam conieceram  
cogitationes, diligenter recognitas,  
ea, quam vides, forma in publicum

A 3                           pro-

PRAEFATIO.

prodire iussi. Adieci auream beati MARTINI LUTHERI præfationem ad hanc epistolam, non sine insigni fructu a literarum sacrarum studiosis legendam; quam e vernacula lingua in latinam transfudit, & cum inscriptione: Præfatio methodica totius scripturæ, Wittebergæ anno MDXXIII. vulgauit IVSTVS IONAS, vir de ecclesia Halensi meritissimus, qui in vertendis Lutheri scriptis celsum tanti viri spiritum eleganter effingere & adcurata imitatione exprimere poterat, quique hic ex abundantia adfetus paullo liberius se gessit, ac Lutheri mentem pluribus saepè verbis decore circumscriptis. Recusum est præstantissimum opusculum anno sequenti Argentorati, & subiunctum PHILIPPI MELANCHTHONIS enarrationibus in epistolas Pauli ad Romanos & Corinthios, quas Lutherus magno in pretio habebat, Eundem beati

-10-

8 A

PRAEFATIO.

beati viri laborem, omnium fere oculis & manibus subductum, ex bibliotheca Rudolphina, anno præteriti seculi nonagesimo, cum aliis Lutheri præfationibus vir doctus reddidit, hoc titulo ornatum: Succinctus in scripturam commentarius, nempe illustres beati Lutheri præfationes latinæ, in libros veteris testamenti, in psalmos, & in epistolam ad Romanos; qui libellus MDCCVIII. rursus publici juris Helmstadii factus est. Præfationem in libros veteris testamenti, utilissimis obseruationibus instruētam, anno huius seculi nono recudendam curauit venerabilis noster PAVLVS ANTONIVS, sub titulo: Spicilegium historico-ecclesiasticum ex præfatione Mart. Lutheri in libros veteris testamenti. Præfationem in psalmos hoc ipso anno in lucem reuocauit venerandus noster IO. HENR. MICHAELIS. Supererat, ut

A 4

præ-

PRAEFATI<sup>O</sup>.

præfatio quoque in epistolam ad Romanos manibus nostrorum red-  
deretur. In paragraphos igitur di-  
stinctam selectissimis locis parallelis,  
ex Lutheri maxime & Melanchtho-  
nis scriptis, symbolicisque nostræ  
ecclesiæ libris instruxi, variisque ob-  
seruationibus, quæ ad mentem vene-  
randi patris modo illuſtrandam, mo-  
do defendendam faciunt, reddidi au-  
ctiorem. Quo labore si viam ad di-  
vinam epistolam rectius intelligen-  
dam parauero, atque nonnullorum  
animos ad eam ardentius legendam  
& meditandam accendero, erit, quod  
summo numini gratias agam. Da-  
bam in academia Halensi, d. xx.

Dec. M DCC XXVI.

CON-



## CONSPECTVS OPVSCVL.

Introductio in epistolam  
ad Romanos premititur,  
§. I. cuius diuini scripti ex-  
plicatur

1. *Auctor*, Paulus, §. II.

2. *Scriptor*, Tertius, §. III.

3. *Genus scribendi ipsto-  
licum*, sapienti consilio  
electum, §. IV.

4. *Obiectum*, ecclesia Ro-  
mana, §. V. vbi

a) *Origines* huius ecclae-  
siæ, §. VI.

b) *Status* eiusdem, §. VII.

\* *Externus*, vbi

a) *Vrbis Romanæ  
conditio*,

β) *Gentis indoles*, §.  
VIII.

γ) *Regiminis ciuilis  
extrema corruptio*,

δ) *Regiminis ecclesia-  
stici forma*, §. IX.

ε) *Pax externa*, sed mi-  
nus diurna, §. X.

\*\* *Internus*,

α) *Pulcherrimus*,

β) *Maculis tamen  
stis conspersus*,

§. XI.

c) *Rationes diuinæ pro-  
videntiaæ*, cur penes  
hanc ecclesiam tam  
luculentum christia-  
nae doctrinae com-  
pendium deponi vo-  
luerit, §. XII.

5. *Tempus scriptionis*, §.  
XIII.

6. *Locus scriptionis*, §.  
XIV.

7. *Occasio quadruplex ad  
scribendum oblata*, §.  
XV.

8. *Scopus quadruplex*, §.  
XVI.

9. *Argumentum in sum-  
mam contractum*, §.  
XVII.

10. *Structura sapien-  
tissimæ*

A 5

- tissima & analyſi , §.  
XVIII.
11. *Stilus* a ſcribente ad-  
hibitus , §. XIX.
12. *Lingua* originalis ,  
non Latina , ſed Græca ,  
§. XX.
13. *Ordo* in ſystemate li-  
brorum N. T. quo in-
- ter reliquas Pauli epi-  
ſtolas primum locum  
occupat , §. XXI.
14. *Auctoritas* & diini-  
tas epiftolæ , §. XXII.
15. *Commentatores* & in-  
terpretes , §. XXIII.
- Conclusio introductio-  
nis , §. XXIV.

## §. I.

**I**ntroductionem in prætantiffimam  
Pauli ad Romanos epiftolam medi-  
tamur , viam hoc modo ad expe-  
ditiorem diuini scripti intelligentiam  
complanatur . Quamvis enim iam  
extant doctorum virorum eiusdem  
indolis labores , qui nos ab hoc pro-  
posito auocare poterant : re tamen  
curatius conſiderata , noſtrum etiam  
conatum non inutilem fore iudicaui-  
mus . \*

\* Ex iis enim , quæ extant , introductio-  
nibus aliae quidem non omnia illa momenta hi-  
ſtorica & hermeneutica , quorum cognitione le-  
torem huius epiftolæ instructum eſſe necesse eſt ,  
comprehendunt , inque paucissimorum insuper  
manibus versantur ; quorsum pertinet HENRICI  
HORCHII adparatus ad demonstrationem epiftole  
Pauli ad Romanos , Herbornæ MDCXCIV. editus ,

iii

S. I. IN EPISTOLAM AD ROMANOS. II

in quo vir eruditus id maxime agit, ut definitio-  
nes præcipuorum vocabulorum, quibus aposto-  
lus in hac epistola ad res diuinas & mysticas ex-  
primendas vtitur, exhibeat. *Aliæ* spuriis sunt  
infesta principiis, atque ad genuinam Pauli men-  
tem obscurandam potius, quam illustrandam,  
comparatæ. In quem censem referendus est li-  
bellus, gallica lingua editus: *L'ouverture de l'e-  
pitre de St. Paul aux Romains, Amstelodami  
MDCXXXV. 12.* (†) quo Pauli de iustificatione  
sententia, immixtis illi negotio per modum  
conditionis operibus, periculose perueritur:  
vnde B. MAIVS, in *examine historie criticae Si-  
monianæ de textu noui testamenti p. 175.* olim pro-  
misit, se hunc libellum rigidiori examini esse  
subiecturum; quod tamen an deinceps factum  
sit, nobis non constat. Deteriores adhuc hypo-  
theses, Arianismi venenum continentes, insi-  
nuat lectoribus suis CHRISTIANVS FENDE,  
*in der gründlichen Einleitung in den Brief des  
hochverleuchteten Apostels Pauli an die Römer, mit  
eini-*

(†) Autorem huius scri-  
pti IO. CLAVDIVM, cele-  
brem inter Gallos theolo-  
gum reformatum, fuisse ex  
IO. CHRISTOPHORI WEND-  
LERI prodromo bibliorh. bi-  
blicæ p. 73. didicimus; qui  
tamen quum videret, labo-  
rem suum celebrioribus Bel-  
gii theologis vehementer  
dispicere, scripta apologia  
inuidiam a se amoliri fru-  
stra conatus est, cuius tit.  
erat: *Eclaircissement sur les  
scandales injustement pris  
d'un livre intitulé, L'Ou-  
verture &c. qua prodiit  
Londini 1687.*

12 INTRODVCTIO IN EP. AD ROMAN. §. I.

einiger Erklärung desselben, cuius editio tertia, nouis additamentis aucta, prodiit *Francofurti ad Menum* MDCCXXI. Latentem in herba huius scripti anguem detexit & profligauit sacer venerandus, IOACHIMVS LANGIVS, in appendice ad PHIL. CHRISTOPHORI ZEYSH libellum: *Exegetische Special-Einleitung in das Euangeliuum, die Episteln und die Offenbahrung Johannis*, Halæ MDCCXX. excusum. Inter breviores in hanc epistolam introductiones eminet B. MARTINI LUTHERI præfatio *isagogica*, e vernacula lingua in latinam a IUSTO IONA versa, quam variis notis & obseruationibus instructam, nostræ introductioni subiiciendam putauimus. Cum hac Lutheri præfatione nostri coniungant enarrationem *histo-rico-paraphrasticam epistolæ ad Romanos*, a summe venerabili Abbate, IOACHIMO IUSTO BREITHAVFTO, conscriptam, & venerandi FRANCKII manuductioni ad lectionem scripturæ sacrae subiunctam, p. 219. Commendandus etiam suo merito est venerandi D. IO. CHRISTOPH. MEVRERI *adparatus in epistolam Pauli ad Romanos isagogicus*, Stendaliæ MDCCV. excusus, quo præter B. Lutberi præfationem, analysis & oeconomia epistolæ succincta, præcipuorumque doctrinæ capitum summa, continetur.

§. II.

Ad rem igitur ipsam ut sine ambigibus accedamus, auctor scripti a nemine siue ignoratur, siue in dubium voca-

vocatur. PAVLVM enim, \* sanctissimum illud IESV CHRISTI instrumentum, a Spiritu sancto agitatum, hanc epistolam reliquisse, & inscriptio docet, & totus prodit orationis color, idiomatibus sibi Paulini \*\* tam largiter tinctus, ac Pauli spiritu ita animatus, ut, nisi oculos claudere velis, Paulum ubique non videre solum, sed palpare etiam possis.

\* Alienum est ab instituto nostro, in historiam vitae Pauli, inque rerum ab illo feliciter gestarum, narrationem excurrere. Haurienda haec talia sunt ex ipsis auctoribus, qui vitam divini huius apostoli ex instituto consignauerunt; quod singulari industria ex reformatis doctoribus HERMANNVS WITSIVS, in *meletematibus Lendentibus*, ex nostris venerandus IOACHIMVS LANGIVS, in *commentatione historico-hermeneutica de vita & epistolis Pauli*, anno MDCCXVIII. edita, praestiterunt. Addantur *Acta Sanctorum*, ad mensem Iunii, tom. V. p. 398. seqq. THOMAS MASSVTIVS, in *vita Pauli*, xv. libris historice & dogmatice conscripta, Lugduni Gallorum, MDCXXIII. forma quarta. IO. BRAND in operé Belgice scripto *de vita & apostolatu Pauli*. GVIL. CAVE, in *antiquitatibus apostolicis*, aliquie. Nec lectu indigna sunt, que TILLEMONTVS de rebus Pauli congesit in *commentariis, historia ecclesiastica*.

sticæ inservientibus, tom. I. part. II. p. 504. seqq.  
 Chronologicas vitæ ipsius rationes expedierunt  
 IO. PEARSONIVS, in annalibus PAULINIS, Halæ se-  
 orsim recusis, & IANVS BIRCHERODIVS, in serie  
 chronologica actorum Petri & Pauli, Hafniæ  
 MDCLXV. edita. Iungantur, quæ de conuersione  
 PAULINÆ epocha disputat FRID. SPANHEMIVS,  
 tom. II. operum, p. 311. seqq. Ut taceamus, quæ  
 de eruditione Pauli apostoli IO. HENR. SCHRAMMIVS  
 & IO. DAV. STROBACHIVS; de eius eloquentia GE-  
 GVIL. KIRCHMAIERVS; de eius iurisprudentia IO.  
 SAM. STRYKIVS; de eius itineribus CHRISTOPHORVS  
 CELLARIUS & ARNOLDVS MOONEN erudite com-  
 mentati sunt.

\*\* De idiomatibus stili Paulini legatur MAT-  
 THIAS FLACIVS in glossa ad N. T. p. 629. nec non  
 in clave scripture sacrae, part. II. tract. V. p. 508.  
 seqq. & qui eius vestigia premit SAL. GLASSIVS, in  
 philol. sacra, lib. I. tract. IV. sect. IV. p. 341. ADA-  
 MVS RECHENBERGIVS de stilo Pauli epistolico, que  
 dissertatio extat in exercitationibus ad N. T. &  
 his toriam ecclesiasticam, p. 1. seqq. denique ven. IOA-  
 CHIMVS LANGIVS, in commentatione de vita & epi-  
 stolis Pauli, p. 344. seqq.

Non tamen Paulus ipse manum  
 huic epistolæ literis consignandæ ad-  
 mouit, sed TERTII cuiusdam opera in  
 ea conscribenda usus est, \* viri pro-  
 cul

cul dubio sinceri, & Christi cultori-  
bus, qui Romæ viuebant, non igno-  
ti. \*\*

\* Patet id ex c. XVI, 22. vbi medio salutantis  
um agmini se immisceret, suamque salutationem  
non, ut reliquorum salutes, in tertia persona, sed  
in prima enuntiat: Ἀτπάζομας ὑμᾶς ἐγώ Τέρτιος,  
οὐ γένθες τὴν ἐπιστολὴν ἐν Κυρίῳ. Quod tamen  
non propria auctoritate fecisse putandus est, sed  
Pauli Θεοπνέυστη sue iussu, sue permisso, non ut  
superbiret, sed ut ministerii nomine innotesceret,  
atque a fidelibus amaretur. Est vero *Tertius*, per-  
inde ut *Quartus* v. 23. nomen latinum, ab ordine  
inditum, unde HUGO GROTIUS colligit, utrumque  
fuisse ciuem Romanum, sed Corinthi illo tempore  
negotiantem. Utrum ex ore Pauli dictantis hanc  
epistolam calamo excepit, adeoque primus scri-  
pserit, an illam a Paulo literis manudatam nitidius  
descripserit; id quidem definiri a nobis non pos-  
est. Ne tamen Romani, si epistolam acciperent  
ignota manu exarataam, forte fraudem aliquam sub-  
esse suspicarentur: simile vero est, Paulum verba  
commatis 24: ἡ χάρις τῆς Κυρίου ἡ μῶν Ἰησὸς Χρι-  
στὸς μετὰ πάντων ὑπὲν, Λύδῳ, quin & reliqua for-  
tassis usque ad epistolæ finem, propria manu adscri-  
psisse. Hoc enim ipsi in more positum fuisse, ex  
2 Thess. III, 17. 18. discimus, ut hoc modo ex ducti-  
bus literariorum genuinae ipsius epistolæ a spuriis &  
supposititiis, si quæ circumferrentur, 2 Thess. II, 2.  
discerni possent. Ceterum verba subscriptiōnis:

πρὸς Ρωμαίους ἐγράφη διὰ Φοῖβης, ita posita sunt, ut verbum subordinatum in principali lateat, hoc modo: πρὸς Ρωμαίους ἐγράφη, hoc est, γραφθεῖσα απεισάλη διὰ Φοῖβης: quam ellipticam & prægnantem constructionem, in subscriptionibus etiam epistolarum ad Corinthios, Ephesios, Philippenses, Colossenses, cert. visitaram, Syrus interpres recte ita euoluit: *Scripta est Corinthis, Et missa per Phœben.* Exarata igitur epistola est per Tertium, Romanam transmissa per Phœben, ecclesiae Cenchreensis ministram. Superuacaneum videri poterat ista monere, nisi obseruassemus, virum doctissimum, SAM. RASNAGIVM, in annalibus politico-ecclesiasticis hic impegisse, qui, p. 677. Epistolam, inquit, ad Romanos Tertii manu scriptam fuisse, constat ex c. XVI, 22. Itaque falsa est subscriptio hac: Scripta fuit per Phœben &c. Verius diceretur, missa fuit per Phœben. Scribendi iunus seminis imponi non debuit.

\*\* Sacerumi fuisse virum, & sine dolo in hoc negotio versatum, satis ostendunt verba, quibus se hanc epistolam *in Domino scriptissē testatur.* His enim certos reddere Romanos voluit, iussi & voluntate Domini huic ministerio scribendae epistolæ fuisse præfustum, inque eo sederiter obeundo a Domino adiutum. Grauis proinde est accusatio, & nullis vñquam testibus comprehendenda, qua optimo viro molestus fuit. DIO. DOBVS. (+) episcopus Tarsensis, quarto post Christum. De quo videri potest *terrena scriptorum ecclesia* CIVL. CAVE, in *historia litterariorum p. 152. seqq.*

#### §. IV. GENVS SCRIBENDI EPISTOLICVM. 17

Christum natum seculo clarus, qui teste 10.  
GERHARDO, in *adnot. posthumis* ad hanc episto-  
lam, p. 469. statuit, quod, quum Tertius hic pa-  
rum esset sermone peritus, nec satis in scribendo  
exercitatus, epistolam, propter multitudinem & su-  
blimitatem questionum praeceteris Pauli epistolis ob-  
sciram, longe reddiderit obscuriorem: dum sen-  
sus & cogitationes Pauli elocutionibus interdum con-  
fusis, & inabsolutis sententiis, ac transposita non-  
nunquam ordinis serie conatus fuerit explicare. Sed  
si accusasse sufficiat, quis innocens erit? Quod  
idem DIODORVS Tertium hunc Tarsensis posthac  
ecclesiæ episcopum factum esse perhibet, id in-  
certis traditionibus adscribendum est. Eundem  
martyrio vitam finiuisse, martyrologia ad d. XXI.  
Junii tradunt.

#### §. IV.

Placuit autem sapientissimo apo-  
stolo *episticolicum*\* scribendi genus, quod  
ob suam familiaritatem oeconomiae  
noui foederis, quae spiritum amoris  
largius administrat, conuenientissi-  
num, & ab omni fastu & austernitate  
remotissimum esse, merito iudicaba-  
tur. \*\*

\* Επιστολαι nomen habent ab επιστέλλειν sive  
mittendo, quia ad amicos absentes per portatores  
mittebantur, qui & tabellarii vocabantur, quod  
ante chartæ & membranarum usum dedolatis e ligno

B

co

## 18 GENVS SCRIBENDI §. IV.

codicillis seu tabulis mutua epistolarum colloquia inscribi solebant; teste B. HIERONIMO epist. XLII. ad Nitiam, tom. I. p. 140. LIBANIUS sophista epistolam dicit esse ὄμιλαν ἀπόντος πρὸς ἀπόντα, familiarem sermonem absentis ad absentem. HESYCHIO ἐπιστολὰ idem sunt ac ἐντολαὶ, ἐπιταγαὶ, quod reges ac magistratus sæpius per modum epistolarum ad ciues, longius in primis a se remotos, mandata sua dare solebant, vti ex Esth. III, 12. 13. Ezr. VII, II. seqq. paret. Hoc sensu beatus MACARIUS homil. XXXIX. p. 476. vniuersam scripturam epistolam supremi regis ad homines scite appellat: τὰς θείας γραφὰς ὡσπερ ἐπιστολὰς ἀπέσειλεν ὁ βασιλεὺς Θεὸς τοῖς αὐτοράποις.

\*\* Iuuat ea de re adscribere iudicium STEPHANI LE MOYNE, Theologi olim Leydensis celeberrimi, in notis ad POLYCARPI epistolam, tomo II. variorum sacrorum, p. 5. Aptissimæ sunt epistole ad solarium ingenerandum & doctrinam ingenerandam; ideo apostoli istud docendi genus usurparunt, vt aliis utilius prodeesse possent, & dogmata christiana melius inculcare. Apud Iudeos non tali modo doctrinæ salutares iradebantur. Nam vel in vaticinia ora soluebant propheta, obscuritate sua veneranda; vel minas intentabant & תְּנִינָת sine onera pronuntiabant; vel exprobationibus & comiciis Iudeos onerabant, a leni dicendi genere, prout ferebant ista tempora, satis alieni. Sed sub euangelio, vbi alia dispensatio, alius spiritus, alia indoles, assuefecunt auctores sacri leni, suavit, amit.

amicæ dicendi & docendi rationi, & familiarem per epistolas docendi methodum, ut consiliis Dei, scopo suo Euangelica dispensationi magis congruam, frequentes usurparunt. Addit vir doctus aliam rationem non minus notatu dignam. Quod eo sedulius praestare voluerunt, quod Iudeos seruentes animaduerterent, ut per legatos & epistolas, quas ad Iudeos ubique terrarum curabant, curreti euangelio intercederent, illiusque propagationem viribus omnibus interuerterent. Quod IUSTINVS philosphus & martyr, genere Samaritanus, scriptis consignauit, ipsoe qui Iudeorum artes, fraudes, consilia, molimina, odia in Christianos habebat explorata. Quæ quum ita forent, apostoli & apostolici viri epistolis ad Christianos exarantibus vigiles incubuerunt, ut Iudeorum conatibus obfiterent, hereses grassantes coercent, & ecclesia commoda feliciter promouerent. Hinc epistola apostolorum, & Clementis, Ignatii, Polycarpi & aliorum, quorum prima secula ecclesia feracissima fuerunt. Lorum IUSTINI martyris, ad quem Auctor digitum intendit, infra dabimus ad §. X.

## §. V.

Est vero hæc epistola non ex genere earum, quæ catholicæ dici consueuerunt, \* quod ad plures ecclesias missæ sunt; sed ex earum numero, quæ sunt ad cœtum fidelium singularem, destinatæ. Inscripta enim est

B 2

fan-

**sanctis IESV CHRISTI cultoribus, qui illo tempore Romam incolebant.** \*\*

\* Non recens est ista appellatio, sed ab EVSEBIO dudum frequentata, qui in *hist. eccl. lib. II. c. XXIII. fin.* postquam Iacobi martyrium narrauerat, ita pergit: Τοιαῦτα ἡ τὰ καῆτα τὸν Ιάκωβον, Ἡ πρώτη τῶν ὀνόμαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν εἴναι λέγεται. Hæc sunt, quæ de Iacobo memorantur, cui etiam tribuitur epistola prima eorum, quæ catholicæ dicuntur. Eadem denominationem in *synopse scripturae*, quæ ATHANASIO adscribitur, in GREGORII NAZIANZENI carmine XXXIII. de genuinis diuinæ scripturæ libris, in CYRILLI Hierosolymitani catechesi IV. illuminatorum, legere licet. Recte vero OECUMENIVS rationem huius nominis explicare videtur *oper. tom. II. p. 439.* ed. Pariſ. MDCXXXI. Καθολικὰ λέγοντας αὐτας, οἵοντες ἐγκυροί. Όν γὰς ἀφωρισμένως ἔθνει ἐνὶ ή πόλει, ως ὁ Θεος Παῦλος οἰον Ρωμαῖοις ή Κορινθίοις, προσφωνεῖ ταύτας τὰς ἐπιστολὰς ὃ τῶν τοιχτῶν τὰ Κυρίες μαθητῶν Θίασος, ἀλλὰ καθόλει τοῖς πίστοις, ἢ τοις ἰδαῖοις τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, ως ἡ ὁ Πέτρος, ἢ ἡ πᾶσι τοῖς υπὲ τὴν αὐτὴν πίστιν χριστιανοῖς τελεστῶν. Catholicæ dicuntur haec, quasi circulares diccas. Non enim seorsim unum aliquem populum aut ciuitatem iis horum apostolorum cœtus compellat; sicut diuinus Paulus, exempli gratia, Romanos vel Corinthios; sed communiter fidèles, vel Iudeos passim dispersos, ut Petrus, vel omnes christianos, qui fidem eamdem tenent.

\*\* Si.

\*\* Siue, ut c. I, 7, legitur: πᾶσι τοῖς Ἰστιν ἐν  
Ἰωμη ἀγαπητοῖς Θεοῖς, καὶ ληπτοῖς αὐγίοις. Non dicit  
Ῥωμαῖοις, quia maxima pars eorum, qui Romæ re-  
ligionem christianam eo tempore profitebantur,  
non erant ciues Romani, sed Romæ tantum pu-  
blicorum priuatorumque negotiorum causa viue-  
bant. Imitatus hoc est CLEMENS Romanus, in  
limine epistole I. ad Corinthios: Ή ἐκκλησίᾳ τῇ  
Θεῷ ἡ παροικόστα Ρώμην, τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ Θεῷ τῇ  
παροικόσῃ Κόρινθον. Sine discrimine autem Pau-  
lus compellat quosvis Romanæ ciuitatis incolas,  
qui Christo nomen dederant, Græcos & barbaros,  
Iudæos & gentes, ciues & peregrinos, liberos & ser-  
uos, diuites & pauperes, viros & mulieres. Voce  
enim πᾶσι quasi in unum fascem complectitur  
omnes, & etiam insimæ sortis homines sibi cu-  
ræ esse ostendit; coll. Rom. I, 14. Quibus vero  
scripta erat epistola, ab iis etiam erat legenda.  
Atqui omnibus siue doctribus siue auditoribus.  
Ergo. Nondum enim aliquis ecclesiæ Romanæ  
episcopus brutum illud fulmen vibraverat, quo  
scripta diuina ex manibus indoctæ plebis excus-  
tiuntur.

## §. VI.

Quomodo vero in vrbe corruptis-  
sima effluerit tam celebris tamque  
pulchre ordinata ecclesia, quis semen  
euangeli primus ibi sparserit, quis ir-  
rigauerit; penitus ignoramus. P E  
T R O

T R O id plerique vindicant Romanæ curiæ adsentatores, \* sed idoneis rationibus prorsus destituti. Rectius alii a nonnullis Petri auditoribus primas fideli christianæ scintillulas Romam delatas esse coniectant. \*\* Forte Deus, qui fastum ecclesiæ Romanæ degeneris præuidebat, sapienter voluit, ut primæ eius origines in obscuro laterent, ne locus humanis auctoritatibus superbiendi relinquetur.

\* Omnia loco audiamus CAESAREM BARONIVM, qui in annal. ad A.C. XLIV. num. XXV. tom. I. p. 318. (edit. Antwerp. MDCLXX.) Petrum anno secundo imperatoris Claudii venisse Romam, communem omnium sit esse sententiam. Et p. 339. Anno Christi XLV, durante abduc anno secundo Claudii, 15. Cal. Febr. a Petro Apostolorum principe ecclesia Romana instituitur, ac in ea sedes pontificia erigitur. Prouocat ille ad EVSEBIVM, qui in chronico, quod HIERONYMVS latinitate donauit, Anno, inquit, secundo Claudii Petrus apostolus, quem primus Antiochenam ecclesiam fundasset, Romanum mittitur, ubi euangelium predicans viginti quinque annis eiusdem urbis episcopus per se erat, ut hæc verba leguntur in thesauro remorum EVSEBII, animaque scriptionibus SCALIGERI illustrato, p. 160. Sed nulla fide dignam esse Eusebianam illam chronologiam, quam Baronius, Bel.

*Bellarminus, Petavius, Cabassutius, Natalis Alexander, Emanuel a Schelstrate, aliquae cæco imperio sequuntur, doctissimi ex ipso pontificiorum cœtu viri, HENRICVS VALESIVS, ANTONIVS PAGI, STEPHANVS BALVZIVS, dudum agnoverint, pluribusque ad oculum demonstrat SAMUEL BASNAGIVS, in annalibus politico-ecclesiasticis p. 522. seqq.*

Evidem suere viri erudití, qui, Petrum omnino vñquam Romæ fuisse, pernegrunt. Omnes præclarí ingenii neruos, vt id euinceret, intendit FRID. SPANHEMIUS, in peculiari dissertatione, *de temere credita Petri in urbem Romam profectione*, quæ extat tom. II. operum pag. 331. Verum quum vniuersa antiquitas in eo consentiat, Petrum martyrii coronam Romæ deportasse; quum testes minime contempnendi, CLEMENS ROMANVS, PAPIAS, CAIVS, DIONYSIVS, IRENAEVS, TERTVLIANVS, LACTANTIVS, CYPRIANVS, uno id ore confirment: noluerunt alii in istam opinionem concedere, ne scepticismi historici crimine sese obstringerent. Ex instituto sententiam Spanhemianam confutandam adgressus est SALOMO VAN TILL, in dissert. *de Petro, Romæ martyre, non pontifice*. At vero, beatum Perrum, anno Claudi secundo Romam concessisse, ibique per XXV. annos fundatam a se ecclesiam supremæ cum auctoritate rexisse; id ita comparatum est, vt si EVSEBIUS vel centies dicat, admitti ramen non possit, quod hæc traditio neque cum munere Petri apostolico, ad vnam urbem neuti-

quam alligando, neque cum sacris scripturis conciliari potest. Nam

**I.** *Contradicit hæc sententia actibus apostolicis.* Legimus 1) c. XII, 4. Petrum ab Herode Agrippa coniectum esse Hierosolymis in carcerem, idque ultimo eius regni anno, ut ex eiusdem capitulis fine constat. Qum vero ultimus ille Agrippæ annus, quarto Claudi imperantis anno respondeat, fieri sane non potuit, ut anno Claudi secundo Romam Petrus venerit, ibique permanescit. Cuius veritatis lux ipsi HENRICO VALESIO, homini pontificio, in notis ad Eusebii hist. eccl. lib. II. c. XVI. p. 30. hanc confessionem extorsit: *Quum anno quarto Claudi mortuus sit Agrippa, ut inter omnes conuenit, Petrus ante hunc annum Romam profici non potuit.* 2) Cap. XV, 7. Petrus legitur synodo Hierosolymitanæ, quæ in annum Claudi IX. incidit, interfuisse. Hinc anno Claudi X. Antiochiam profectus, aliquamdiu ibi cominoratur, & a Paulo ob defectum eius imperialis reprehenditur Gal. II, II. seqq. 3) Cap. XXVIII, 16. 17. Paulus anno Neronis septimo Romanam delatus, conuocasse dicitur Iudeorum præci- puos, ubi nulla rursus Petri mentio: qui potius eodem anno epistolam suam priorem ex Babylonia ad Iudeos per Asiam dispersos scripsisse putatur, 1 Pet. V, 13.

**II.** *Diuturnus ille Petri in urba Roma episcopus* cum epistola Pauli ad Romanos conciliari non potest; ex qua potius liquidissime constat, Petrum autem scriptam hanc epistolam Romæ nunquam

quam fuisse ac docuisse. Tota sane epistola eo comparata est, ut in orthodoxæ fidei professione constanter Romani perseverarent. Plurimum autem ponderis hortationi isti conciliasset auctoritas illius, quem primum cœlestis veritatis doctorem natūra erant; maxime si fuisset unus ex præcipuis apostolis Domini, cum quo suum in doctrina consensum tam sollicite apud Galatas, quamvis nullo articulo vinculo Petro obstrictos, Paulus contestatus erat. Nonne idem apud Romanos fecisset, si omnia sua debuissent Petro? Timotheo suo scripsit Paulus 2 Tim. III, 14. *At tu maneto in iis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, eisdem, παρὰ τίνος ἐμαθες, sciens, a quo didiceris.* An non idem apud Romanos valueret? An non fere debuisset Paulus dicere: Manere in sana ista sanctaque doctrina, in cuius typum ab initio traditi estis, scientes, a quo didiceritis; non a vulgari aliquo doctore, sed ab uno illorum, qui ipsum Dominum quotidie audiuerunt docentem, ab eo, qui columnis in apostolico ordine accensitus est, ab ipso denique PETRO. Sed ne nomen quidem Petri in tota epistola legitur, quamvis inuitaret occasio, suaderet utilitas, & vrgerer fere necessitas. Ita HERM. WITSIVS argumentatur, in meletem Leid. p. 146. Addit SAL. VAN TILL, diss. cit. §. XVII. ab omni verosimilitudine esse alienissimum, Paulum c. XVI. omissurum fuisse Petri mentionem, (si tunc ecclesiam Romanam gubernarit,) ubi eos omnes nominatim salutat, qui illo tempore

locum aliquem in illa ecclesia obtinebant. Immo vero, si Petrus tum egisset Romæ, a scribenda epistola Paulus omnino sibi temperaturus fuisse videtur. Quid enim opus erat ex Græcia ad Romanos scribere, quos summus ecclesiæ episcopus doctrinæ suæ fontibus largiter quotidie irrigabat?

III. Neque cum aliis Pauli epistolis diuturnus ille Petri episcopatus in concordiam redigi potest. Ex Gal. II, 7. 8. 9. intelligimus, Petro circumcisio- nis ministerium, Paulo curam gentium commissam fuisse. Debuit ergo Petrus in eis locis maxime versari, vbi maior erat Iudæorum multitudo, nempe in Palæstina, Babylonia &c. Immemor sane vir sanctus fuisset officii sui, & factæ inter ipsum & Paulum conventionis, si, relicta ingenti Iudæo- rum per orientem dispersorum copia, Romæ sedem suam fixisset, vbi exiguis Iudæorum numerus, si cum gentium multitudine comparetur. Quid dicemus de illis Pauli epistolis, quas ex urbe Roma- na ad varias ecclesias scripsit, in quibus plurima sa- lutantium nomina expressit, aliorumque omni- um frequentem iniecit mentionem, quos in ope- re Domini socios habebat; de solo Petro altum vbi- que siler. Quomodo Paulus e. g. Col. IV, 10. 11. dice- re poterat, se præter Aristarchum, Marcum & Iu- stum nullos Romæ habere συνεγγές εἰς τὴν Βασ- λείαν τῇ Θεῷ; quomodo scribere poterat Tim. IV, 11. Δικαιός εἴτε μονος μετ' ἐμῷ; si Petrus tunc Romæ fuisset? Denique quum Phil. II, 21. multum que-

ra-

ratur, quod præter Timotheum, quem Romæ  
 $\tau\sigma\omega\psi\chi\sigma\gamma\sigma$  habebat, omnes sua quærant, non quæ  
 IESV CHRISTI sunt; & 2 Tim. IV, 10. quod Romæ  
 ab omnibus derelictus sit, nullumque habuerit in  
 sui defensione  $\pi\alpha\pi\alpha\sigma\alpha\tau\eta\eta$ : liquidissime inde con-  
 ficitur, Petrum illo tempore aut non fuisse Romæ,  
 aut, si Romæ fuerit, supinum dormitasse; quod de  
 tanto apostolo nemo sanæ mentis vel cogitauerit.  
 Conferantur etiam, quæ aduersus chronologiam  
 Eusebianam circa Petri iter Romanum disputar-  
 JAC. BASNAGIVS, in *histoire de l'eglise*, tom. I. lib.  
 VII. c. III. p. 346. seqq.

\*\* Dignæ sunt ea de re, quæ hic adscribantur  
 HERM. WITSII conjecturae *in melet. Leidenibus*  
 p. 146. In frequenti illa nationum multitudine, quæ  
 apostolos, sancti Spiritus plenitudine imbutos, le-  
 tissima pentecostes die Hierosolymis concionantes  
 audiuerunt, fuere etiam  $\epsilon\pi\iota\delta\eta\mu\beta\eta\tau\epsilon\sigma\pi\alpha\sigma\iota\sigma$ , ad-  
 vena Romani, sive Iudei, ad tempus Romæ commo-  
 rantes, [Act. II, 10.] Ex his credibile est, sermone Pe-  
 tri, aliquos ad fidem IESV efficaciter esse vocatos.  
 Qui postlimatio in patriam reuersi, gratiam sibi fa-  
 Etiam maligno silentio non occuluerunt, sed domes-  
 tificis, cognatis, vicinis, amicis, ceterisque ciuibus  
 suis, admiranda illa, quæ Hierosolymis audierant,  
 viderant, experti erant, magno cum affectu, uti me-  
 rebantur, prædicarunt. Quod tuto & cum successu  
 potuerunt facere, regnante Tiberio, christianis satis  
 sequo. Id aliquas christianæ fidei scintillas ini-  
 cere animis potuit, mox exarsuras in Iculen-  
 tam

tam flammatum. Accedit, quod occasione afflictionis, ortae ob Stephanum, multi fidelium ex Iudea quaquamuersum dispersi, in iis, ad quas veniebant, regionibus euangelizauerint Dominum IESVM, Act. XI, 19. 20. Fieri potest, ut inter eos quoque fuerint *Andronicus & Iunias*, cognati Pauli, qui ante ipsum fuerunt in Christo, qui & Romæ insignes inter apostolos fuerunt, Rom. XVI, 7. Qui quando primum Romam appulerint, non constat. Hoc constat, quando ibi fuerunt, non fuisse otiosos, sed ad amplificandum CHRISTI regnum omnem impendisse industriam.] Præterea *Urbanum*, quem Paulus adiutorem suum in CHRISTO vocat, vti & *Aquilam* cum *Priscilla*, & *Apellem*, probatum in CHRISTO, ceterosque plures, quos salutat nominatim, credibile est, Romanæ ecclesiæ presbyteros fuisse; olim fortassis cum ceteris Iudeis & Christianis Claudi edicto pulsos, at sub Nerone reduces, qui dispersam ecclesiam recollegerunt, auxerunt & in eum statum promouerunt, ut tam insignia Pauli elogia meruerit. Eandem coniecturam suo calculo comprobat ven. IOACH. LANGIVS, in comment. de vita & epistolis Pauli, p. 125. Similiterque SAM. BASNAGIVS, in annalibus politico-ecclesiasticis tom. I. p. 525. Quis nobilis positor ecclesiæ fuerit, Deus nouit, nos nescimus. Num aduenarum aliqui Romanorum, quos constat fuisse Hierosolymis, quin illapsus est Spiritus Sanctus? Num *Andronicus & Iunias*, inter Apostolos insignes, qui ante Paulum fuerant in Christo? Hoc unum

vnum scimus, a Petro iacta non fuisse huius ecclesiae fundamenta.

Non possum tamen, quin adscribam, quæ in recognitionibus CLEMENTIS Romani de primis christianæ doctrinæ seminibus, in agro Romano sparsis, narrantur, lib. I. §. 6. sqq. in patrum apostolicorum operibus, a COELERIO editis, tom. I. p. 488. edit. Antverp. MDCXCVIII. Quum his ego, Clemens inquit, ex versione Ruffini, cogitationis meæ etibus agitarer, fama quedam sensim in imperio TIBERII Cæsaris, initio ex orientis partibus sumto, peruenit ad nos (Romam) Et per singula conualescens, velut a Deo bonus quidam nuntius missus, vniuersum replebat orbem. Diffundebatur ergo per singula loca, adnuntians, quod esset quidam in Iudea, qui sumto a tempore veris exordio (putant enim veteres, initium munericIESV CHRISTI in Calendas Maii incidisse) regnum Dei euangelizaret Iudicis, idque percepturos diceret eos, qui mandatorum suorum Et doctrinae instituta seruassent. Ut autem firmo eius fide dignus ac diuinitatis plenus crederetur, virtutes multas, ac signa ac prodigia mira, efficiere iussione sola dicebatur: ita ut, tanquam a Deo potestatem habens, surdos faceret audire, Et cæcos videre, claudos erigeret, atque omnem infirmitatem, cumque demones ex hominibus effugaret; sed Et oblatos sibi mortuos suscitaret; leprosos quoque eminus videns curaret; Et nihil omnino esset, quod ei impossibile videretur. Hæc Et horum similia processu temporis, crebris iam non rumoribus, sed manifestis quodammodo aduentan-

rantium ex illis partibus munitis, firmabantur: Et ipsa iam per dies singulos rei veritas patefiebat. Denique in urbe per loca conuentus fieri, Et de hoc sermonе tractari atque in admiratione res haberi caput, quisnam is esset, qui apparuerit, vel quid muniti a Deo hominibus detulisset: donec sub eodem anno vir quidam adslans in urbis loco celeberrimo, proclamaret ad populum, dicens: Audite me, o ciues Romani! Filius Dei in partibus adest Iudeæ, promittens omnibus, volentibus audire se, vitam aeternam: si quis tamen secundum voluntatem eius, a quo missus est, Dei patris actus suos direxerit. Propter quod conuertimini a malis ad bona, Et a temporalibus ad aeternos. Agnoscite, unum esse Deum, celi terraque rectorem, in cuius iustis aspectibus vos iniusti mundum habitatis. Sed si conuertimini, Et secundum voluntatem eius agitis, ad futurum seculum venientes, Et aeterni effecti, ineffabilibus eius bonis ac premiis perfuermini. Erat autem vir iste, qui haec loquebatur ad populum, ex orientis partibus, natione Hebreus, nomine BARNABAS, qui se etiam unum ex eius discipulis esse diceret, missumque ad hoc, ut haec volentibus indicaret. Quibus ego auditis cum reliqua multitudine sequi eum capi, Et audire, que diceret. Intelligebam sane, quod nihil dialecticæ artis esset in homine, sed simpliciter Et absque ullo dicendi furo, quæ audisset a filio Dei vel vidisset, exponeret. Porro deinde narratur, quomodo Barnabas, cuius simplicem sermonem populus amplecti coepit, hinc a philosophis syllogismorum telis obrutus, ( quos tamen ne respon-

sio-

sione quidem dignos iudicauerit) illinc a vulgo derisus & velut barbarus ac sanæ mentis haud compes, contemptus, in Iudeam redierit, & quomodo Clemens non diu post eum fuerit sequutus. Hæc si vera sunt, BARNABAS primus fuit Romanorum apostolus.

## §. VII.

Operæ pretium nobis facturi vide-  
mur, si in *statum*, in quo ecclesia Ro-  
mana fuit, quum hanc epistolam acci-  
peret, paullo curatius inquiramus. E-  
ius enim rei notitiam plurimum lucis  
per integras virorum sacrorum episto-  
las diffundere, exegeseos sacræ periti  
satis experiuntur.\*

\* Pluribus id comprobatum est in diss. de  
*statu ecclesiæ apostolicarum*, earum præcipue,  
ad quas apostolus Paulus epistolas suas scripsit, quam  
sub præsidio venerandi IO. FRANC. BVD DEI an-  
no MDCCXX. Ienæ defendit coniunctissimus collega  
GOTTHILF AVGUSTVS FRANCKIVS, vbi inter  
alia p. 3. hæc leguntur: *Status illorum, quos sa-  
cri scriptores adloquuntur, quum nunquam non  
menti eorum, ut credere par est, obuersatus fuerit,*  
*& ad eundem subinde, quod & prudentiae ratio  
postulat, respiciant; fieri aliter nequit, quin pluri-  
ma nobis tum demum perspicua & noua velut luce  
persusa adpareant, si iste a nobis paulo penitus  
introspectiatur.*

## §. VIII.

§. VIII.

Et ad *externum* \* quidem ecclesiæ Romanæ *statum* quod attinet, hospitabatur illa in vrbe, & magnis prærogatiis conspicua, \*\* & multis atrocissimisque vitiis inquinata; \*\*\* cuius gremium vti omnibus terrarum populis patebat, ita gentiles non minus, quam Iudeos, complectebatur. \*\*\*\*

\* Possunt nimirum, ut ven. BVDDEV<sup>S</sup> in laudata *disp. p.5.* obseruat, quæ ad statum ecclesiæ aliquius spectant, ad duo capita reuocari; quum quædam interna magis sint, alia externa. Ad *externa* pertinet *loci*, in quo ecclesia habitat, ratio, gentis indoles, *imperii civilis*, cui ecclesia subest, regiminis denique ecclesiastici constitutio. *Interna* sunt, quæ ad fidem atque vitam spectant. Paucis hæc omnia in Romanæ ecclesiæ consideratione perstringemus.

\*\* Penes Romam illo tempore fuisse imperium in cultiores orbis terrarum partes, ipsamque Iudaem, Iehouæ olim ditionem, a nemine ignoratur. Vnde CORNELIUS NEPOS in *Attico c. III.* eam vocat *urbem*, *in quo domicilium orbis terrarum esset imperii*; & TACITVS *annal.lib. III.c.XLVII.* *urbem*, vnde *in omnia regimen*. Hinc POLYBIVS etiam, DIONYSIUS HALICARNASSENSIS & alii scriptores, de Romanorum imperio ita loqui solent, ac si totum

ter

terrarium orbem complexum fuerit, dum illud  
*πᾶσαν τὴν οἰκουμένην* adpellant; quam phrasin Lu-  
cas etiam imitatur c. II, 1. Conf. 10. CASP. SVICERI  
*thesaurum eccl. tom. II. p. 466.* Ex statu humili-  
mo & casis stramine rectis ad summum splendorem  
amplitudinemque vrbs illa adscendit, & inter alias  
tantum caput extulit vrbes, quantum lenta solent  
inter viburna cupressi. ATHENAEVS lib. I. *ἐπιτομὴν*  
*τῆς οἰκουμένης compendium orbis habitati* vocat;  
ab aliis *regina vrbiū, totius terrarum orbis columen, orbis domina, arx omnium gentium, legum pa-*  
*rens, seculi summum caput, cert. ambitiosis nominibus insignitur.* Quin & *Terrarum DE Agentiumque Roma,* a MARTALI lib. XI. epigr. VIII. salutatur.  
Duo autem maxime fuerunt, quibus ad tantum fa-  
stigium Romani nominis maiestas euecta est, & per-  
tot secula in eodem immota atque inconcussa per-  
stigit, *armorum scilicet peritia, ac studia literarum.*  
Et *studia* quidem serius in vrbe coli coepерunt, ne-  
que ante Punica bella quisquam literis clarus inter  
Romanos commemoratur. Immo vero aliquando  
senatus consultum de philosophis & rhetoribus  
Latinis factum est, *vt Romæ ne essent, quod iue-*  
*nun ingenia depravare putarentur, vt SVETONIVS*  
*cap. I. de claris rhetoribus* adnotauit. Inde autem a  
*Ciceronis tempore* nitidiorem faciem disciplinarum  
studia induerunt, fueruntque excellentia ingenia,  
quæ philosophiam, historiam, poësin, ius ciuale,  
atque in primis oratoriam artem certatim excolue-  
runt. Neque deerant bibliothecæ priuatæ multæ &

C

illu-

illustres, quæ eruditorum vsui sine inuidia patebant; inter quas AEMILII PAVLI & L. LVCVLLI adparatus librarius eminebat. ASINTVS POLLIO bibliothecam publicam primus dedicasse dicitur a PLINIO hist. nat. lib. XXXV. c. 2. Post hunc AVGUSTVS Cæsar duas constituisse legitur, Octavianam & Palatinam, ex libris græcis ac latinis conflatas, quas tamen ignis deinde consumxit. Sed integrum argumentum de studiis Romanorum literariis pluribus explicuit R. CHRISTOPHORVS CELLARIUS, in diff. academicis, p. 34<sup>o</sup> sqq. nec non cel. IO. GEORG. WALCHIVS, in diff. de variis modis literas colendi apud veteres Romanos.

\*\*\* Evidenter veterum Romanorum & religio simplicior erat, innumerisque superstitionibus generibus nondum onerata, & mores ad honestatem magis compositi. Vnde VALERIVS MAXIMVS multa conquisiuit veterum Romanorum exempla, quorum frugalitatem, innocentiam, moderationem animi, liberalitatem, iustitiam, gratum animum, pietatem in parentes ac fratres, verecundiam, pudicitiam, concordiam coniugalem cert. summis laudibus ornat. Fidem Romanorum erga socios atque amicos multis etiam prædicat auctor libri I. Macab. VIII. I. 12. Ad quem locum HUGO GROTIUS haec adnotat: Describitur hic Romana res publica, qualis erat ante Punicum bellum tertium, ad quod usque tempus magna apud Romanos fuere virtutes, vel virtutum imitamenta. Illam vero morum integritatem senatus exemplum, potestatis censoriae seueritas, rigida adolescentium educatio, pauper-

tas

tas denique & fortunæ mediocritas haud parum adiuuabat; ut pluribus ostendit CORNELIUS ADAMI, in *exercitationibus exegeticis*, p.522. seqq.

At vero prisci illi Romanorum mores peregrinis aduentitiisque vitiis in postea corrupti ac deformati fuerunt, ut nihil illis deprauatus esse possit. Omnia gentium deuictarum virtus Roma sola imbibebat. Magistratum scelera, hominum pessimorum, Romam, tanquam in sentiam confluentium, frequentia, iuuentutis praua & effeminata educatio, opum abundantia, aliæque cauissæ, patentissimam sceleribus omnibus portam aperiebant; vnde ambitio, profusiones, ebrietas, luxus, impudicitia, fraudes, rapinæ, aliaque monstræ inualuerunt. Initium corruptionis paulo ante deletam Carthaginem extitisse obseruatur; creuit deinde malum, illa deleta, subastaque insuper Græcia, Syria, Asia; autem est tempore Sullæ, Cesaris & Pompeii; summum denique velut fastigium attigit tempore Pauli. Evidem Augustus primum in omnia mala & in luxuriam fluens seculum grauibus severisque legibus coercere studi debat, testante FLORO lib. IV. c. 12. fin. Sed quum ipse, teste AVRELIO VICTORE, in epitome, luxuriæ atque libidini usque ad probrum vulgaris famæ serviret; parum efficaciæ ad sistendum vitiorum cursum leges illæ habuerunt. Nunquam autem maiore vi erupit in publicum vberrimus vitiorum prouentus, quam circa tempora prædicati euangelii, ubi Roma quasi obruta inundataque fuit

## 36 STATVS ECCLESIAE ROMANAE §.VIII.

omnibus flagitorum & dedecorum probris, Caligula, Claudio, Nerone, monstris deterrimis, imperii gubernacula tenentibus. SVETONIVS *Caligulam* describens, quædam se de illo, *quaſi de principe,* *reliqua ut de monſtro tradere teſtatur, cap. XXII.* *Claudium Cæſarem* mater Antonia portentum hominis dicitabat, *nec abſolutum a natura, ſed tan-*  
*tum inchoatum;* eodem SVETONIO teſte c. III. *Neroniſ petulantiam, libidinem, luxuriam, crudelita-*  
*tem ac deteſtanda facinora, præter SVETONIVM, TA-*  
*CITVM, aliosque e veteribus, CHRISTOPH. CELLARIUS,* in diſſ. *de Neroniſ Claudii in rem publicam & ecclē-*  
*ſiam ſævitia,* pluribus docere poteſt. Ab hiſ igitur  
 Romani imperii capitibus vitia per viuierum cor-  
 pus diffundebantur, proximumque contagium in  
 Romæ incolas redundantabat. *Quis fuerit morum Ro-*  
 manorum Pauli tempore ſtatus, ex Paulo ipſo co-  
 gnoscere licet. Dum enim cap. I, 21 - 33. imaginem  
 paganismi exhibet, tam ſapienter tempera: ſilum,  
*ut ea in primis vitia recenſeat, quibus populus Ro-*  
 manus illo tempore infectus erat. *Eſt in illo ſermo-*  
 ne mira ἐὐροια Σεγregius χαρακτηριζοὺς illorum  
 temporum, praesertim Rome, ut HVGO GROTIUS in ad-  
 notationibus ſuis reftiſſime obſeruauit, qui magis  
 hic audiendus eſt, quam HENRICVS HAMMONDV, qui  
 in ſuis ad illum locum notis impuros gnoſticorum  
 mores describi credit, multaque obrorto collo in  
 eos transfert, a IOANNE CLERICO reſte ea in re caſti-  
 gatus. Vberiorem vero in hunc Pauli locum com-  
 mentarium, multa eruditioне refertum, conſcripsit

Cl.

Cl. CORNELIUS ADAMI, in diss. *de malis Romanorum moribus*, quæ exstat in exercit. eius exēgeticis, Groningæ MDCCXII. editis, p. 501. sqq. ex quibus, qui faciem Romæ paganae penitus cognoscere cupit, si tim affatim restinguere potest. Vnum modo producemus testem ex ipso Romanorum gremio, Paulo σύγχεον, qui institutam a Paulo Romanorum gentilium accusationem prorsus confirmat, SENECA scilicet philosophum, profligatos Romanorum mores passim grauiter taxantem. Ita ille *de ira lib. II. c. 8.* *Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt. Plus committitur, quam quod possit coercitione sanari.* Certatur ingenti quodam nequitiae certamine, Maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris equiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit. Nec furtiva iam scelerata sunt, præter oculos eunt, adeoque in publicum misera nequitia est, & in omnium pectoribus eualuit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Quod iudicium de illius sceluli corruptione confirmat alter SENECA, Poeta tragicus, *Oæt. act. II. v. 429. sqq.*

*Collecta vitia tot etates diu*

*In nos redundant. Seculo premimur graui,*

*Quo sceleræ regnant, sauit impietas furens.*

Addantr, qui de luxu Romanorum integros libros composuerunt, IO. MEVRSIVS & STANISL. KOBIERZYKIVS, in GRAEVII thesauro antiqu. Rom. tom. VIII. p. 1214. sqq.

Id vnum adiicimus, ipsos etiam Romanorum philosophos a labe grauissimorum vitorum haud

immunes fuisse. (†) Communis morbus, quo laborabant, *arrogantia* erat, quam Paulus etiam ipsis exprobrat Rom. I, 22. Φάσινοντες εἶναι σοφοὶ ἐμω-  
ράνθησαν. Publica querela erat, eos optime doce-  
re, pessime viuere. Testis est CICERO, ipse philoso-  
phus, qui *Tuscul.*, quest. lib. II, §. 11. 12. Quotusquis-  
que, inquit, philosophorum inuenitur, qui sit ita  
onoratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio  
postulat? qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis  
pareat? Videre licet alios tanta levitate & tractatio-  
ne, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae  
cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum seruos.  
Idem pronuntiat QUINTILIANVS instit. orat. lib. I, in  
proæmio: Ac veterum quidem sapientiae professorum  
multos & honesta præcepisse, & ut præceperunt, etiam  
vixisse, facile concesserim; nostris vero temporibus  
sub hoc nomine MAXIMA in plerisque VITIA latuerunt.  
Non enim virtute ac studiis ut haberentur philosophi,  
laborabant; sed vultum & tristitiam, & differen-  
tientem a ceteris habitum PESSIMIS MORIBVS praten-  
debant. Nihil nunc de M. PORCIO CATONE, LVCRE-  
TIO CARO, TULLIO CICERONE, PLINIO SECUNDO, A-  
POLLONIO, PLVTARCHO, aliisque Romanorum philo-  
sophis minime innocentibus dicam; solus nunc  
ANNAEV SENECA prodeat, qui a LACTANTIO instito-  
divo

(†) Libri Symboli p. 8.  
Philosophi conati honeste  
viuere, tamen id efficere  
non potuerunt, sed conta-  
minati sunt multis mani-

festis sceleribus. Talis est  
imbecillitas hominis, quam  
est sine spiritu sancto, &  
tantum humanis viribus so-  
gubernat,

div. lib. V. c. 9. §. 19. morum vitiorumque publicorum & descriptor verissimus, & accusator acerrimus dicitur; eumdem tamen, præter fastum Stoicum, multis aliis domesticis vitiis scatuuisse, veterum monumenta nos dubitare vix sinunt. Non deerant, qui, ipso adhuc viuente & in palatio fulgente, publice dictabant, eum corrumperem cubicula principum feminarum; Romæ testamenta & orbos velut indagine eius capi; Italiam & provincias immenso senore hauriri: qui denique ex ipso discere cupiebant: Quia sapientia, quibus philosophorum præcepitis, intra quadriennium regiae amicitiae, ter milles sefertium paraquisset; vii dissimulare non potuit Senecæ admirator TACITVS annal. lib. XIII. c. 42. Accedit, quod PLINIUS lib. V. epist. 3. n. 5. versuum lasciuorum spurcitem Senecæ exemplo tueatur, qui & ipse in eis componendis luserit. Apertius de illo DIO CASSIUS, hist. Rom. lib. LXI. p. 694. ed. Wechsel. Ενεκλήθη δὲ καὶ ὁ Σενέκας ἀλλ' ἄττα, καὶ ὅτι τῇ Ἀγριππίνῃ συνεγίνετο. Οὐ μόνον δὲ καὶ ἐν τάτω, αλλὰ καὶ ἐν ἀλλοις πάντα τὰ ἐναντιώτατα, οἷς ἐφιλοσόφει, ποιῶν ἡλεγχῆθη. Καὶ γὰρ τυχαννίδος κατηγορῶν, τυραννοδάσκαλος ἐγίνετο. Καὶ τῶν συνόντων τοῖς δυνάσταις κατατρέχων, ἐκ ἀφίσατο τὰ παλατία. Τὰς δὲ κολακεύοντας τινὰ διαβάλλων, αὐτὸς καὶ τὰς Βασιλίδας, καὶ τὰς ἐξελευθέρες ἐθώπευε, καὶ τινῶν καὶ ἐγκέρμια συνετίθει. Τοῖς δὲ πληστοῦσιν ἐγκαλῶν, ωσίαν ἐπλακίσιλων καὶ πεντακοσίων μυριάδων ἐπτήσατο. Καὶ τὰς πολυτε-

CA

ΛΕΙΑΣ

λέιας τῶν ἄλλων αἰτιώμενος, πενήνακοσίς τείποδας πεδρίνης ξύλης ἐλεφαντόποδας ἵστης καὶ ὁμοίας εἶχε, καὶ ἐπ' αὐτῶν εἴσιατο. Τῷτο γάρ εἰπὼν καὶ τὰλλα τὰ ἀπόλυθα αὐτῷ δεδήλωκα, τὰς ἀσελγείας, ἃς πράκτων, γάμου δὲ ἐπὶ Φανέταιον ἔγημε, καὶ μετρινοῖς ἐξώροις ἔχασε, καὶ τῷτο καὶ τὸν Νέρωνα ποιεῖν ἐδίδαξε. Accusabatur vero etiam SENECA multorum scelerum, præsertim quod cum Agrippina (Neronis matre) rem haberet. Nec enim in hac re solum, sed in plerisque aliis contra facere visus est, quam philosophabatur. Quum enim tyrannidem improbaret, tyranni præceptor erat. Quum inueheretur in eos, qui principum familiaritatem ambirent, ipse a palatio non discedebat. Assentatores detestabatur, dum ipse interim reginis atq; libertis adularetur, ac laudationes quorundam componeret. Reprehendebat diuites ἡς, cuius facultates erant ter millies sestertium; (†) quique luxum aliorum damnabat, quingentos tripedas habuit de ligno cedrino, pedibus eburneis, similes inter se spares, super quibus epulabatur. Ex quibus omnibus ea, que his sunt consentanea, quaque ipse libidinose fecit, facile intelligi possunt. Nuptias enim cum illustrissima femina contraxit, delectabatur expletis, idque Neronem etiam facere doruerat. Merito igitur illum philosophum retuleris inter illos, quos Paulus Rom. II, 1. ita adloquitur: ἐν ὧ κείνεις τὸν ἔτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις; τὰ γαρ αὐτὰ

πρόσ-

(†) Quæ ex calculo IAC. unt 27916666. libras galli-  
BASNAJE in histoire de P cas, siue 930555. imperia-  
eglije tom. I. p. 690. confici- less.

*πράσσεις, ὁ κρίνων:* cui hominum generi accen-  
fendi etiam sunt HORATIVS, PETRONIVS, IVVENALIS,  
PERSIVS, aliquique, qui aliorum vitia sale satyrico per-  
fricabant, ipsis sceleribus conspurcati. Vel hinc pa-  
ret, quo loco habenda sint, quae de Senece amore  
erga religionem christianam, deque instituto cum  
Paulo commercio literario narrantur; qua de re vi-  
deri potest AEG. STRAVCHII dissert. *de christianismo*  
*Senecæ.* Addatur cl. TOB. EKHARTI obseruatio in  
*miscellan. Lips. tom. IX. p. 90. de Seneca in religionem*  
*christianam iniurioso.* Spurias illas Senecæ ad Pau-  
lum, & Pauli ad Senecam epistolas exhibet vir ve-  
nerandus IO. GE. PRITIVS, in *introductione ad lect. N. T.*  
c. XI. §. 7. & cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *codice apo-*  
*crypho N. T. tom. I. p. 880.*

\*\*\*\* Cœtum christianorum, qui Romæ degebat,  
ex Iudæis & gentilibus fuisse compositum, plurima  
sunt, quæ euincunt. Multos fuisse Romæ ex GENTI-  
LIVM numero, qui se in Christi disciplinam dederunt,  
ipsis profanorum auctorum testimoniis compro-  
bari potest. TACITVS *annal. lib. XV. c. 44.* fuisse Romæ  
dicit, quos vulgus *christianos* adpellabat. Auctor  
(ita pergit) *nominis eius CHRISTVS*, qui Tiberio im-  
peritante per procuratorem Pontium Pilatum sup-  
plicio adfectus erat. Repressaque in præsens exitia-  
bilis superstitione (ita homo profanus christianam re-  
ligionem vocat) rursus erumperebat, non modo per  
Iudeam, originem eius mali, sed PER VRBEM ETIAM.  
Idem IVVENALIS *sat. III. VI. XIV.* SVETONIVS in *vita*  
*Claudii c. XXV.* aliisque testantur. Aperte hos allo-

quitur Paulus c. XI, 13. Υμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσι. Ad eosdem respicit c. I, 13. c. XV, 16. aliisque locis.

IVDAEOS etiam Romæ fuisse, nemini mirum & incredibile videbitur, qui non ignorat, temporibus Christi & apostolorum Italianam, Græciam, Asiam, Aegyptum Iudæorum copia vbiique abundasse; ut pluribus docet 10. BRAVNVS, in *selectis sacris lib. I. p. 10. seqq.* Quod speciatim Romæ etiam fuerint, adparet 1) *Ex Act. II, 10.* vbi Hierosolymæ visi fuisse dicuntur ἐπιδημῶντες Ῥώμαιοι. 2) *Ex Act. XXVIII, 17.* vbi Paulus terrio post suum in urbem aduentum die conuocasse dicitur τὰς ὄντας Ἰσλαίων περάτες, per quos CAMPEG. VITRINGA, de *synagoga vetere p. 61.* *synagogæ prefeclos* intelligendos putat. Nam et si, inquit, incertum sit, an Iudæi eo tempore splendidae quandam aëdem, nomine Titulo *synagogæ cognitam*, Romæ vel extra Romam habuerint; opinor tamen, Iudæos Romæ degentes, spectato, ceu videtur, numero, qualemcumque locum sacris suis more recepto celebrandis, consecrassè, in quem diebus sabbati conuenirent. 3) *Ex ipsis huius epistole locis*, sole clarioribus. Ita c. II, 17. seqq. disertis verbis solos Iudæos Paulus adloquitur: ίδε, σὺ Ἰσλαῖος ἐπονοράζῃ cert. Ad eosdem c. IV, 1. Quid, ait, dicemus, Abrahamum patrem nostrum inuenisse secundum carnem? Cap. VII, 1, se loqui dicit γινώσκοι τὸν νόμον ut alia multa præteream, qua longo ordine recenseratque illustratio, BRAVNVS, in *selectis sacris lib. I. c. 2. §. 35. seqq.* 4) *Ex testimonio PHILONIS atque IOSEPHI*, qui in antiqu. Iud. lib. XVII, c. 13. p. 783. ed. Hudsonianæ, rem.

tempore Augusti urbem incoluisse memorat plures quam *octo millia Iudeorum*. Horum plerosque fu-  
isse libertinos, (h. e. seruos iure belli factos ac de-  
inde manumissos, quibus deinceps alii accesserunt,  
ut eodem iure gauderent,) & in Transiberina vrbis  
parte habitasse, ex PHILONIS *legatione ad Caium* di-  
scimus. Vide, quae ad illud Philonis testimonium  
illustrandum adfert SAL. TILLIVS, in *opere analytico*,  
*tom. II. p. 519.* Evidem Iudeos TIBERIVS Italia ex-  
cedere iussérat, teste TACITO *annual. lib. II. c. 85.* quod  
JOSEPHVS *antiqu. lib. XVIII. c. 4. §. 5.* ideo factum esse  
refert, quod Fuluiam, Saturnini Senatoris vxorem,  
ad Iudaismum traductam, argento emunxerint. Et  
nuper demum CLAVDII anno duodecimo simile illi  
fatum denio subierant, teste SVETONIO, in *vita Clau-  
dii c. XXV.* ubi Iudeos, inquit, *impulsore Chresto as-  
sidue tumultuantes, Roma expulit.* De quo loco non  
una est eruditorum sententia. IAC. VSSERIVS in *anna-  
libus ad annum Christi LIV. p. 634.* & ANTON. VAN DA-  
LE *de oraculis p. 604.* verba ista non de Christo Ser-  
vatore nostro, sed de *alio homine* seditione accipien-  
da esse contendunt; plurimi de *nostro Servatore* Suetonii locum explicandum iudicant, obseruantque,  
solemne fuisse gentilibus, ut siue ex ignorantia, (†)  
siue ex malitia, quem nos Christum dicimus, hunc  
Chrestum, eiusque asseclas *Christianos* adpellarint,

vt

(†) Conf. MICH. ROSSALII  
exerc. de Christo per erro-  
rem in Chrestum mutato,  
Groningæ 1717. & PAVLI

CHRISTIAN. HILSCHERI dis-  
sertatio de Chresto, cuius  
mentionem Suetonius fa-  
cit.

vt pluribus ostendit PETRVS DAN. HVETIVS, in *demonstrat. euangel. prop. III. §. 20.* & CHRISTIANVS KORTHOLDVS, in *pagano obtreccatore*, p. 713. seqq. Etiam si vero Seruator noster Romæ numquam fuerit, vt ipso impulsore quisquam tumultuari potuerit: tamen doctrina Christi, per eius discipulos ibidem disseminata, magnarum litium occasio esse potuit, nonnullis Iudæis, qui Romæ commorabantur, magno eam animo recipientibus, aliis vefano studio & præfracta contumacia eidem obnitentibus. Ex quibus contentionibus istud Claudii editum natum videtur HERMANNO WITSIO, in *exercit. ad symb. apost. exerc. X. p. 139.* Alii Suetonium potius respexit se putant ad tumultus, in Palæstina a Iudæis motos, quorum homo paganus Christum, ex Iudæis prognatum, faciat impulsorem, quod Christianos & Iudæos contumaces turpiter confundat. Speciatim illum hic tumultum intelligendum esse censet IO. PEARSONIVS, in *annal. Pauliniis p. 22.* (ed. Hal.) quem TACITVS *annal. lib. XII. c. 54.* exponit; cuius rebellionis causis auditis, Clavius Iudæos vrbe expulit, eodem, vt videtur, tempore, quo *de mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox & irritum*, vt TACITVS ait *loc. cit. c. 52.* Quod vero illius expulsionis Iudæorum Tacitus nusquam meminerit, id inde arcessit PEARSONIVS, quod illa non ex senatus consulto, sed tantum ex edito Cæsaris profecta fuerit. Addatur IACOBI BASNAGE *histoire de l'eglise*, tom. I. p. 649. seqq. An illo Claudii edito christiani quoque comprehensi fuerint, de eo iam olim

olim OROSIVS lib. VII. c. 6. dubitauit: *Vtrum contra Christum tumultuantes Iudeos coerceri & compri-  
mi iussent, an etiam Christianos simul, velut co-  
gnatae religionis homines, voluerit expelli, nequa-  
quam discernitur.* At enim Christianos, saltem  
qui ex Iudeis orti erant, omnino simul eiectos  
fuisse, Aquila & Priscilla exilium nos condocere  
potest, qui A&t. XVIII, 2. nuper relicta Italia; Co-  
rinthi domicilium fixisse dicuntur, διὰ τὸ διατε-  
ταχένται Κλαυδίον χωρίζεσθαι πάντας τὰς ἱεράς  
ἐκ τῆς Ρώμης. At inter Christianos fuisse par illud  
coniugum, ex Rom. XVI, 3.4. liquet. Non ergo ad  
eos pertinisset edictum Claudi, nisi Iudeorum  
nomine comprehensi tunc fuissent Christiani, quo-  
rum religio quibus finibus a Iudeorum sacris dis-  
terminaretur, pagani parum curabant. Sæpius  
hanc factam esse confusionem, ex A&t. XVI, 20. c.  
XXIV, 5. patet, pluribusque exemplis id compro-  
bat CHRISTIANVS KORTHOLDVS, in *pagano obrecta-*  
*tore lib. I. c. III. p. 59. seqq.*

At vero, aīs, vnde tanta tam repente Christianorum Romæ multitudo, si Claudi edicto  
nuper Indei & Christiani omnes Roma pulsi fue-  
runt? Respondeo HERM. WITSII verbis, *in melete-  
matibus Leidens. p. 142.* Sciendum est, 1) edictum  
illud Claudi forte sub ignauo principe ipso etiam-  
num viuente paullatim exoleuisse; saltem ipsius  
morte vim suam prorsus, ut fieri solet, amisisse;  
nouumque principem, damnata antecessoris seueri-  
tate, expulsis redeundi facultatem fecisse. Id quo-

quod

que 2) obseruandum, magnas Romæ fuisse illecebras, quibus omnes totius propemodum orbis nationes ad se alliceret. Et 3) Iudeos, peregrinationibus tunc assuetos, mercaturæ admodum deditos, ubique habitantes, Romanis commoditatibus ac deliciis pridem captos, non segnus rediisse, quam exiuerant, neque sine adiunctione & comitatu nouorum hospitum. Ad quam rem 4) multum etiam conferre potuit late auditæ elementiæ & benignitatis Neroniana fama. Vulgatum enim omnium scriptorum elo- gis primum Neronis quinquennium est. Redeuntibus itaque Iudeis, pariter Christiani Romam rediere, ut exemplo Aquilæ & Priscillæ liquet, qui Claudi⁹ edito pulsi A. Et. XVIII, 2. rursus Romam remigraverant, Rom. XVI, 3. Hinc igitur formata illa ecclesia, cui epistolam hanc inscripsit Paulus, ex Iudeis, ut diximus, & gentilibus ad Christum conuersis conflata.

Stupenda autem ea in re conspiciebatur euange-  
lii virtus, quippe quod in ipsa arce omnis impie-  
tis, Roma, non modo multorum ciuium Romano-  
rum colla, iugi alioqui impatientissima, Christi iu-  
go subdiderat, sed durissima quoque multorum Iu-  
deorum peccora expugnauerat, quos Stephanus  
semper Spiritui sancto obniti dicit, A. Et. VII, 51.  
Dudum tamen obseruanuit io. BRAVNVS, in selectis  
sacris, lib. I. p. 21. vero simile esse, Iudeos, qui isto  
tempore habitabant inter gentiles, in Asia, Græcia,  
Romæ, & alibi, minori difficultate adduci potuisse  
ad credendum euangelio, quam qui Hierosolymis  
& in

& in reliquis Iudææ ciuitatibus sua habuerunt domicilia: quippe qui splendore Hierosolymorum, forma reipublicæ, umbra alicuius iurisdictionis magni synedrii, & gloria sacerdotii, quod ante oculos quotidie habebant, maiori fascino excœsti, difficilius, veteribus reliætis, ad Christum converti potuerint; maxime quum sacerdotes, scribæ, pharisæi & reliqui principes populi Hierosolymitani, aliarumque terræ sanctæ ciuitatum, omnem mouerent lapidem, ut progressus veritatis euangelice ubique sufflaminarent, ne, populo ad Christum contuerso, honores, auctoritatem, redditus atque lucra amitterent, quæ alibi in Asia, in Italia, in Græcia, inter gentiles, locum non habuerunt, vnde tot ibi impedimenta apostoli non inuenierunt.

## §. IX.

Hospitabatur ecclesia illa in *politia* corruptissima, suberatque imperio civili, grauissimis morbis laboranti. \* Ecclesia autem ipsa nondum quidem eam, quam hodie obtinet, formam \*\* induerat, sed optime tamen ordinata, a rectoribus \*\*\* suis sapienter administrabatur.

\* Quæ fuerit regiminis politici facies Claudio ac Nerone imperantibus, ex SVETONII & CORNELII TACITI monumentis non sine horrore perspicitur. CLAVDIVM principem fuisse, qui se  
pris.

principem esse, non gravitate, non actu meminerit; qui alienis nervis ad instar simulacri lignei diceretur; qui seruos pro magistris, scurras pro amicis, ciues pro mancipiis habuerit, adeoque imperium pessimorum hominum libidini subiecerit; vere monuit IO. HENR. BOECLERVUS, in *dissert. polit. in Claudio §.VIII.* Similiter enim de eo SVETONIVS c. XXV. fin. Totum principatum non tam suo, quam vxorum libertorumque arbitrio administravit: talis ubique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet. Et rursus cap. XXIX. Libertis vxoribusque addictus, non principem se, sed ministrum egit. Compendio cuiusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est, & quidem insciens plerumque & ignarus. NERONE imperante, quidquid sacrum & honestum erat, peruersum turbatumque fuit, ac tantum non penitus extirpatum. Nondum tamen, quum haec epistola scriberetur, exactum erat primum Neronis quinquennium, in quo magistris, Seneca & Burrho, adiuuantibus, ita se laudabiliter gesit, ut Traianus idemtidem dixerit, teste AVRELIO VICTORE, procul differre cunctos principes Neronis quinquennio. SVETONIO teste c. X. ex Augusti prescripto se imperaturum professus, neque liberalitatis, neque clementiae, nec comitatis quidem exhibendae ullam tunc occasionem omisit. Quum de supplicio eiusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: *Quam vellem, inquit, nescire*

**S. IX. RATIONE REGIMIN. ECCLESIAST. 49**

*nescire literas?* Verum ita deinceps partam clementia laudem omni flagitorum crudelitatumque genere obliterauit, ut monstris, non hominibus, adnumerandus videatur. Innumera, quibus usus est, perdendae reipublicæ instrumenta longo ordine recenser SVETONIUS; ab ISAACO tamen CASAV-  
BONO non immerito reprehensus, quod nimis aperie turpissima Neronis facinora, perpetuo silentio digna, prodiderit.

\*\* Hodiernam ecclesiæ Romanæ formam ad ideam imperii, quod Roma pagana adminis-  
trauit, factam esse, pluribus docet JAC. BASNAGE,  
*in histoire de l'eglise, part. I. lib. VII. c. 2. p. 344.*  
ex quo, quum liber non in omnium manibus ver-  
setur, totam comparationis rationem in compen-  
dium mittemus.

*I. Roma pagana* sedes erat imperii, unde mater & regina urbium salutabatur. Regibus ipsis imperabat, quibus diademata pro iubitu nunc dabat, nunc auferebat. Sic *ecclesia Roma- na* mater ac magistra ecclesiarum audire gestit. In ea sedes est summi episcopi, a cuius nutu reliqui episcopi omnes, quin ipsi reges, pendere coguntur.

*II. Roma* erat locus, ubi imperatores eli-  
gebantur. Sæpe quidem in castris cæsares pro-  
clamatos legimus; sed tumultuarie illæ electio-  
nes per suffragia senatus Romani confirmari so-  
lebant. *Ecclesia* hunc morem imitata est. Summi  
Pontifices Romæ & eliguntur, & commorantur.

D

*III. Ro-*

*III. Roma pagana* volebat, ut ad suas leges suosque mores vniuersus terrarum orbis componebatur. Vnde a CLAVDIANO mater & origo legum vocatur. Hinc certis etiam in locis scholæ constituebantur, in quibus ius Romanum docebatur. Discrimen erat inter leges & consuetudines. Leges in literas erant relatæ; consuetudines vero per longum usum introductæ & venerabiles factæ. Verum & his & illis ab omnibus Romani imperii prouinciis, coloniis ac municipiis obsequium præstandum erat. Sic *Romanæ ecclesia* haber suum verbum scriptum; habet etiam suas traditiones, quas pari pietatis affectu ab omnibus suis filiis agnoscit & recipi cupit. Haber & passim suas scholas, iuri canonico docendo destinatas.

*IV. In eo situs erat* maximus *Romaë fastus*, quod pro communi omnium populorum patria haberi veler. Per spem summarum dignitatum præstantissimos viros alliciebant, ut gloriæ vibis amplificandæ studerent; quamuis maximos honores tantum in incolas suos conferret. Sic *Roma christiana* haber suam purpuram, sua beneficia, opes, honores, quibus præclarissima ingetia sibi dicit. Pretiosissima tamen suis incolis referuat.

*V. Roma pagana* a paruis initii ad supremum magnitudinis fastigium adscendebat. Septem secula labebantur, ante quam Cœsares & Augustos, orbis dominos, haberet. Hinc præfiebat ambitiosorum hominum, & summi honores

J. IX. RATIONE REGIMIN. ECCLESIAST. 151

res non raro plus licitantibus vendebantur. Si-  
militer dioecesis Romæ christiane exigua primum  
erat, & quibusdam parochiis virbis Romæ inclusa.  
Addebatur deinde regiones suburbanæ, atque  
sic sensim, sub imperatoribus maxime christianis,  
in altum surrexit. Hinc fraudes & artificia eo-  
rum, qui supremam ecclesiæ dignitatem ambie-  
bant. Hinc Damaso ad summum episcopatum  
seculo IV. adspirante, sanguis humanus in ipsis  
templis copiose effusus. Hinc pagani: *facite me*  
*episcopum Romanum, & sine mora christianum no-*  
*men profitebor.* Quam saepe deinceps argentum,  
scorta, ferrum, ignis, venenum, instrumenta & vel-  
utis scalæ fuerint ad sedem pontificiam conscenden-  
dam, historiarum monumenta restantur. Reliqua,  
quæ hic minus quadrant, lubens prætermitto.

Vnum addo. *Pontificem maximum Romæ*  
christianæ multa communia habere cum pontifi-  
ce maximo Romæ paganæ, facile cognoscet, qui  
IO. ANDREÆ BOSII conscriptam *de pontifice maxi-*  
*mo Romæ veteris exercitationem* cum cura perle-  
gerit. Subiungimus Cl. CAMPEGII VITRINGA de  
hac conuenientia Romæ paganæ & christianæ, vel  
Potius antichristianæ, iudicium, qui in *comment.*  
*ad Apoc. XVII, 8. p. 767.* hæc habet: *Vetus imperi-*  
*um Romanum destructum, resuscitatum est veluti in*  
*imperio pontificio, quod omnia à ζιώματα & pro-*  
*prietates veteris imperii Romani pagani in se ex-*  
*bibet, mutata tantum forma.* Ut enim Roma olim  
*mundi caput habita, & hac de causa venerabunda*

52 STATVS ROM. ECCLES. EXTERNVS §.IX.

fuit gentibus : sic nunc est. Ut Cæsares olim domini-  
nati sunt Romæ : sic nunc pontifices. Ut suum Ro-  
ma antiqua habuit senatum, quamdiu aliqua Roma-  
nis supererat libertatis species : sic nunc habet se-  
natum Cardinalium, quorum in negotio religionis  
summa est post papas auctoritas. Ut imperatores  
Romani olim dicti sunt pontifices maximi : sic re-  
centioris Romæ praesides hoc ipso honorantur titulo.  
Ut imperatores olim & sacrorum mystæ apud Ro-  
manos purpura & coco insignes erant : sic pariter  
eundem sibi vindicarunt habitum, qui hoc tempore  
Rome dominantur. Ut vetus Roma, post tempora  
Augusti præcipue, maximam in templis, aris & reli-  
gionis cultu ostentauit pompam, sua habuit festa,  
iubilos sive saculares annos, idola, imagines : ea-  
dem hæc profert Roma recentior. Et quid multa?  
Constat enim, data opera id egisse pontifices, ut  
maiestas veteris imperii Romani destructi in suo  
imperio conspicienda exhiberetur. Addantur au-  
tores, qui plerosque ritus, consuetudines & super-  
stitiones Romanæ ecclesiæ ex paganismo deriuatas  
esse demonstrauerunt, ut MVSSARDVS in libro Galli-  
ce scripto, & cum animaduersionibus SIGISM. HOS-  
MANNI germanice edito : Eigentliche Abbildung des  
nach und nach verfallenen Christenthums. IO. VAL-  
CKENIER, in Roma paganizante, aliisque, quos recen-  
set cel. IO. ALB. FABRICIVS, in bibliographia anti-  
quaria c. IV. §. 6.

\*\*\* Ecclesiam Romanam habuisse Pauli tem-  
pore ordinem ecclesiasticum optime constitutum,  
ha-

§. IX. RATIONE REGIMIN. ECCLESIAST. 53

habuisse prophetas, doctores, rectores, diaconos,  
ex c. XII, 6. 7. 8. satis constat. Summum vero ei  
præfuisse episcopum, qui cum supraem auctoritate  
res ecclesiæ ordinauerit, cunctosque in officio suo  
continuerit; eius rei nullum in hac epistola vestigi-  
um legitur. Multo minus probari potest, duos ibi  
episcopos fuisse, unum ecclesiæ ex Iudeis collectæ,  
alterum ecclesiæ ex gentilibus formatæ; quæ sen-  
tentia fuit HENR. HAMMONDI, in not. ad Apoc. XI, 3.  
P. 476. vbi: *Duplicem, inquit, christianam coloniam*  
*singulis in urbibus fuisse, antequam Iudei & gentiles*  
*in eodem cœtu coalescerent, ex variis argumentis*  
*liquet.* Sic ROMAE Petrus erat episcopus Iudaici cœ-  
tus; Clemens eius diaconus; Paulus gentilis; Linus  
vero eius diaconus. -- Alter quidem, instar Mosis,  
dabat operam, ut Iudeos ex seruitute peccati libe-  
raret; alter vero inuehebatur in idolatriam, ethni-  
cosque ad religionem christianam adducere conaba-  
ratur. Sed recte ad illam Hammondi hypothesis in  
ter alia hæc adnotat 10. CLERICVS, in *animaduersio-*  
*nibus ad Hammondi N. T. loc. cit.* Quod de ecclesiæ  
Romana hic habetur, id, ut opinor, commentus est  
Hammondus, ad redigendos in concordiam veteres,  
dissidentes de primo episcopo Romano post apostolos;  
sed in nulla historia fide digna inuenit, geminos  
apostolos fuisse episcopos Romana ecclesiæ, & ha-  
buisse quemlibet suum diaconum, quem loco suo reli-  
querit. Apostoli nullius singularis ecclesiæ episcopi  
esse potuerunt; & mera sunt somnia, qua narrantur  
multoq[ue] rursum. *De* *3* *in* *ibidem* *de*  
*litteris supradictis deinde illi homines quibusque*  
*episcopi*

## 54. STATVS ECCL. ROM. EXTERNVS §.IX.X.

de diaconatu Lini & Clementis. Quisquis initia illa Romanæ ecclesiæ intelligere auebit, ad ea dissertationem Pearsonianam & Dodwellianam de primis urbis episcopis. Addatur, qui ex instituto hanc Hammondi sententiam destructunt init. Cl. HENRICVS SCHARBAV, in parergis philologico-theologicis, part. III. p. 65. seqq. Confer etiam & ad ecclesiam Romanam adplica, quæ de regimine, disciplina & ritibus ecclesiarum primi seculi tradit ven. IOACH. LANGIVS, in historia eccles. N. T. p. 331. seqq. ven. IO. LAVR. MOSHEMIVS, in institut. hist. eccl. N. T. p. 101. seqq. & ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in ecclesia apostolica cap. VI. p. 605. seqq.

## §. X.

Intercesserat haec tenus diuina prouidentia, quo minus pulcherrimum illud ecclesiæ Romanæ viridarium diris vexationibus vastaretur. Vnde Christiani, qui Romæ degebant, primis Neroniani imperii annis optata quidem, sed non admodum diurna, tranquillitate fruebantur.\*

Ante Neronis persequitionem aliquid gravius in Christianos, Romæ viuentes, statutum fuisse, non liquet. Evidem communi eos contumaciam paganorum, tum Iudeorum carnalium, expositos fuisse, vix dubitare licet. Iudei, qui Romæ degebant, et si de fide christiana parum instructi erant, id tamen se cognitum perspetuum que habere dicebant, quod isti heresi ubique terrarum

X.  
X.  
lla  
io-  
r-  
n-  
vs,  
rt.  
na-  
us  
vs,  
ur.  
&  
ap.  
  
ii-  
d-  
ka-  
ni,  
ni  
on  
te-  
ra-  
fu-  
m,  
qui  
in-  
m-  
ra-  
u-  
10115

§.X. RAT. PVBL. TRANQVILLITATIS. 55

rum contradicatur, AEt. XXVIII, 22. Vniuersalis au-  
tem illa contradietio ex impiis istis rumoribus, quos  
ipse Iudaeorum senatus per legatos ac literas ubique  
disseminauerat, coorta erat. Postquam enim Iesum  
Nazarenum, capitali supplicio adfectum, ex mor-  
tuis in vitam rediisse atque in cælum adscendisse  
cognoverant, viros delectos Hierosolymis in o-  
mnem terram legabant, qui Iudeis ubique dispersis  
renuntiarent, pessimam hæresin, Iesu Nazareno an-  
dore, extitisse, angue peius fugiendam; quibus de-  
testandis artibus animos Iudeorum aduersus do-  
ctrinam euangeli præoccupabant. Publice id illis  
exprobrat IVSTINVS Martyr, in dialogo cum Trypho-  
ne, p. 234. (ed. Parisi. MDCXXXVI.) Ἀνδρας ἐπιλεκτὸς  
ἀπὸ Ἱεροσαλὴμ ἐπλεξάμενος τότε, ἐξεπέμψατε  
εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, λέγοντες, αἴρεσθι ἀθεούχον χρι-  
στιανῶν πεφωνέαν, vel ut p. 335. habetur, ὅτι αἴρε-  
σίς της ἀθεοῦχη ἡ ἀνομος ἐγήγερται ἀπὸ Γησε-  
τινοῦ Γαλιλαῖος πλάνων. Addebant: discipulose-  
ius noctu eum e monumento sustulisse, ac deinde  
dixisse, a mortuis eum suscitarum atque in cælum  
sublatum esse. conf. Matth. XXVIII, 15.

Quo loco Christiani apud Romanos paganos fue-  
rint, ex iis facile coniectari potest, quæ Tacitus at-  
que Suetonius ex publica fama de iis iudicarunt.  
Suetonius in Nerone c. XVI. eos vocat *genus homi-  
num superstitionis noue ac malefica*. Ita enim deo-  
rum cultoribus adparebant, qui id, quod per totse-  
cula sacrosanctum a gentibus erat habitum, nega-  
bant & irridebant; interpretante CHRISTOPHORO

CELLARIO, in *diff. acad. p. 616.* TACITVS, cordatus ce-  
tera scriptor, sed deorum cultui adfuerus, in *annal.*  
*lib. XV. c. 44.* Christianos *per flagitia inuisos, exitia-*  
*bilis superstitionis reos, & odio humani generis con-*  
*viictos* fuisse perhibet. *Inuisos* fuisse paganis, vi-  
que credibile est, quia & ritibus dissentiebant, &  
grauiissimorum vitorum criminationibus expositi  
erant, longa serie a *Minucio Felice* recensitis & con-  
futatis. A flagitiis tamen Christianos absoluit PLI-  
NIVS, æqualis Taciti & amicus, *lib. X. epistola XCVII.*  
*ad Traianum.* Humani vero generis odium in eo  
fuisse inuentum putat ven. MOSHEMIVS, quod chri-  
stiani cunctos æternis poenis excruciantos esse, qui  
Deos venerarentur, sentirent. Qui enim omnes a se  
dissentientes sempiternis flammis addicit, adeoque  
maximam humani generis partem ad inferos aman-  
dar, is non immerito odii in genus humanum insi-  
nnulari posse videbatur; in *inst. hist. eccl. N. T. p. 47.*  
Ex his facile coniicere licet, Romæ etiam fuisse im-  
pletum, quod Christus Matth. XXIV, 9. suis futurum  
prædixerat: ἐσεσθε μισθμένοι ἀπὸ πάντων ἐγνῶν  
διὰ τὸ ὄνομα μου.

Interim in vrbe christiani haec tenus tolerabantur. Dudum enim Romani ab illo rigore aduersus  
peregrina sacra remiserant, quem antiquæ ipsorum  
leges poscebant. CICERO *lib. II. de legibus §. 19.* tam-  
quam a veteribus accepta hæc recenset: Separatim  
nemo habebit Deos, neque nonos. Sed nec aduenas, nisi  
publice adscitos, prillatim colunto. Immo Mae-  
nas, consilia, quibus admissis feliciter impetraturus  
esset,

eset, Augusto suggesterens, apud DIONEM CASSIVM,  
lib. LII. p. 490. ed. Wechel. Τάς δὲ ξενίζοντας τις  
περὶ τὸ θέσον, καὶ μίση καὶ κόλαζε. Peregrinarum  
religionum auctores odio & suppliciis prosequere.  
Verum progressu temporis ab hoc instituto lon-  
gissime Romani discesserunt, omnesque gentium  
victarum deos in urbem suam receperunt, ut non  
immerito TATIANVS aduersus Gracos Romanam vo-  
cauerit δευτιδαιμονίας ἐπιτομὴν, compendium  
superstitionis. Quod AVR. PRUDENTIVS Symma-  
cho, in religionis negotio maiorum placita se-  
quenda esse dictanti, eleganter obiicit lib. II. ad-  
versus Symmachum v. 346. seqq.

Innumeros post deinde deos, virtute subactis  
Urbibus, ex claris peperit sibi Roma trium-  
phis

Et paucis interiectis v. 356. sqq.

Roma triumphantis quoties ducis inclyta  
currunt

Plausibus exceptit, toties altaria diuum

Addidit, & spoliis sibimet noua numina sicut.

Hoc modo Romani quum magnam deorum mul-  
titudinem, certo numero non definitam, statue-  
rent, summam & in urbe & in provinciis credendi  
libertatem permittebant; ut pluribus confirmat  
cel. CORN. a BYNCKERSHOEK, de cultu peregrina re-  
ligionis apud Romanos, in opusculis eius, Lugd. Batav. 1719, editis, num. IV. Immo vero a multis  
eorum, qui res gestas ecclesiae a primis fere tem-  
poribus conscripserunt, & primum quidem a TER-

TYLLIANO, in *apologetico c. V.* memoriae proditum fuit, Tiberium imperatorem, postquam a Pontio Pilato, qui ipso imperante Iudeæ præfuerat, de rebus a Iesu Nazareno gestis certior factus erat, consilium cepisse, *de Iesu in numerum doorum adsciscendo*; a Senatu autem populi Romani, ad quem hoc detulerat, (diuina intercedente prouidentia) repulsam tulisse. Sunt equidem viri in republica literaria clarissimi TANAQVILLVS FABER, SAMVEL BASNAGIVS & ANTONIVS VAN DALEN, qui totam narrationem fabularum numero adscribendam putant. Verum eorum obiectiones retundere, remque non contempnendis rationibus confirmare addressus est. V. Cl. THEODORVS HASSEVS, in diss. historica, *de decreto Tiberii*, quo Chriſtum referre voluit in numerum doorum, Hanoviæ MDCCIX. habita, quam commendat etiam ven. IO. LAVR. MOSHEMIVS, in *instit. hist. eccl. N. T. p. 40.* remque totam, a Tertulliano narratam, probabiliorem sibi, quam incertiorem, videri adſirmat. In compendium hanc litem contraxit doct. TOBIAS EKHARTVS in libro, cui titulum inscripsit: *Non-Chr̄istianorum de Christo testimonia, c. IV. p. 85. seqq.*

Haec tenuis igitur, vt diximus, christiana religio Romæ tolerabatur, Tiberio, sub cuius imperio in vibem ingressa est, siue fauente, siue connivente. Sunt equidem, qui eum Christianos vibē submōvisse existimant, inducti loco SVETONI, c. XXXVI. vbi *Externas, inquit, carinonias, Aegyptios Iudai-* cos.

§. X. RAT. PVBL. TRANQVILLITATIS. 59

cosque ritus, compescuit, (†) coactis, qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Iudeorum iuuentutem per speciem sacramenti in prouincias grauioris celi distribuit, reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, urbe submouit, sub pena perpetuae seruitutis, nisi obtemperassent. Scilicet per similia sectantes Christianos illi intelligi putant, cum Iudeis confundi solitos, ut ad superiorem paragraphum obsevaluimus. Sed vix credibile est, Tiberium Iudeos & Christi asceclas codem loco habuisse, quum infensissimum Iudeorum aduersus Christum odium necis eius caussa extiterit, vt ex Pilati literis procul dubio didicerat. Non igitur necesse est, yr putemus, similia cum Iudeis sectantes esse Christianos. Potuerunt eo nomine diuersae Iudeorum sectæ, potuerunt Samaritani, potuerunt Chaldaei harioli, potuerunt alii designari, qui ritum circumcisionis cum Iudeis communem habuerunt; iudicante THEOD. HASÆO, in diff. cit. §. XXI. Illam vero procellam, quæ anno Claudii XII. in Iudeos Romanos irruerat, eosque urbem relinquere cogebat, Christianos quoque adfixisse, supra ad §. VIII. adnotauimus. Sed nec diurna fuit illa tempestas, nec ad alias Christianos, quam qui origine Iudei erant, se extendisse videtur; unde credibile non est, totam rem Christianam, quæ Romæ erat, isto Claudii edicto fuisse dis-

(†) Qua id occasione nat. in antiquitat. iudaic. factum sit, JOSEPHYS nar. lib. XXIII, cap. IV.

disiectam & disturbatam. Ante Neronis in Christianos sœvitiam nullæ exstant Romanorum leges, de Christianis puniendis latæ. Paulus certe, quum anno Neronis sexto apud Agrippam & Festum causam diceret, non melius se suæ securitati consulere posse existimabat, quam si peteret ex Romanis legibus iudicari. Vnde ad Cæsaris tribunal prouocabat, Act. XXV, II. c. XXVI, 32. *Huic prouocationi nullus fuisset locus, si Christianismus imperiali edito damnatus fuisset; qua quum utatur Paulus, inde apparet, nondum eo tempore quidquam tale factum fuisse; ut recte iudicat HENR. HAMMONDV, in notis ad Act. XXVI, 31.* Scimus etiam, Paulum, quum anno Neronis septimo Romam venisset, ibi satis benigne habitum, per biennium integrum Iesu Christi doctrinam libere propagasse, Act. XXVIII, 30. 31. Sunt, qui id tribuunt Poppææ consiliis, quæ, Nero-ni matrimonio iuncta, fauentem erga Iudeos animum multis occasionibus ostendebat; quam proinde JOSEPHVS tamquam *feminam Deoœsæñ, religiosam laudat, antiqu. lib. XX. c. 7.*

Anno demum Neronis decimo, qui anno æræ christianæ LXIV. respondet, execrabilis illa Christianorum persecutio, quæ intra Romæ pomæria maxime sœviebat, coorta est; de qua TACITVS, annal. lib. XV. c. 44. *Abolendo rumori (quo imperatoris iussu vrbs incensa dicebatur) Nero subdidit reos, & quæstissimis pœnis adfecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat. Igitur primo correpti, qui (se Christianos) fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, hanc perinde in*

*in criminis incendii, quam odio humani generis con-*  
*victi sunt. Et per euntibus addita ludibria, ut ferar-*  
*rum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut*  
*crucibus adfixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset*  
*dies, in usum nocturni luminis uerarentur, ceteri. An*  
*longius extra urbem manauerit malum, definiri non*  
*porest. In provinciis etiam Christianos tunc fuisse*  
*suppliciis adfectos adfirmat THEODORVS RVINARTVS,*  
*in pref. ad acta martyrum selecta, §. III. negat HEN-*  
*RICVS DODWELLVS, Cyprianica Dissertatione XI. §.*  
*XIII. quia causa siue praetextus vexationis intra ur-*  
*bem substiterit, urbis videlicet incendium, desitque*  
*testimonium antiquitatis, quo excursio illius perse-*  
*cutionis confirmetur. An vero nec in suburbanis re-*  
*gionibus Italiae idem malum propagari cœperit, ad-*  
*firmare quidem non possumus, neque vero negare:*  
*quia morbus capitis se latius diffundit, & ab aula &*  
*metropoli exemplum petunt ciuitates, quod imiten-*  
*tur; præsertim quia Tacitus dixit, Christianos haud*  
*perinde in criminis incendii, quam odio humani ge-*  
*neris conuictos esse: iudice B. CHRIST. CELLARIO in diff.*  
*acad. p. 619. Similiter ven. IO. LAVR. MOSHEMIVS, in*  
*institut. hist. eccl. N. T. p. 54. longe probabiliorem*  
*censet eorum sententiam, qui Christianos in pro-*  
*vinciis degentes minime iniuiolatos mansisse, cre-*  
*dunt: idque rationibus haud contempnendis confir-*  
*mat. Neronis iussu Petrum etiam atque Paulum Ro-*  
*mæ vita esse priuatos, constans est veterum traditio.*  
*Sic igitur primus fuit ex Romanis principibus Nero,*  
*qui igne, ferro, ludibrio in Christianos innocentes*

sc.

sæuiit: qua de re TERTULLIANVS in *apologetico* c. V.  
*Consulite*, inquit ad Romanos, *commentarios* ve-  
*stros*: illic reperietis, primum Neronem in hanc  
*sectam*, cum maxime Rōma orientem, Cæsariano  
*gladio* ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis  
*nostre* etiam gloriamur. Qui enim scit illum, in-  
*telligere* potest, non nisi grande bonum a Neroni  
*damnatum*. Interim quamvis Romana ecclesia tunc  
*optata* tranquillitate in primo Neronis quinque-  
*nio* frueretur, sapientissime tamen eam Paulus ad-  
*versus* imminenrem malorum turbinem munire,  
& ad patientiam constantiamque formare studuit  
c. VIII, 17. seqq. Et v. 36. prope esse illud tempus,  
quo impleretur vaticinium Psalmi XLIV, 23. Pro-  
pter te morti tradimur toto die, reputati sumus  
*tanquam oves macerationis*; haud obscure signifi-  
cauit. Adde c. XII, 12. 14.

## §. XI.

Pergimus ad statum ecclesiæ Roma-  
næ internum, qui, ipso Paulo teste, lx-  
tissimus florentissimusque fuit; \* quam-  
vis negari non possit, aliquas hinc in-  
de maculas \*\* in pulchra illa facie ob-  
seruatas fuisse.

\* Florens ac vegetus status societatis alicuius  
christianæ consistit tum in *pura fidei professione*, ei-  
que conueniente *sacrorum cultu*, tum in *exacta regi-  
minis & morum disciplina*, cum *indefesso studio &  
zelo* in *omni opere bono & exercitatione qualicumque  
laudabili*, secundum euangelii *praescriptum composi-*  
*ta*.

ta. *Vbi per ecclesiam viget purus in Deminum adfessus*, vera de ipso editur confessio, nomen Domini  
*puro animo* & non pollutis labiis celebratur, virtutes  
*christianæ cuiuscumque generis strenue exercentur*,  
*impura a sacris prudente discriminē remouentur*,  
*& ad hæc omnia accedit feruidus & constans in*  
*professione, cultu, charitatis ac sanctimoniæ officiis*  
*zelus: ibi vera illa obtinet vita spiritualis, quæ a*  
*spiritu sancto in mystico corpore Christi anima-*  
*nur; ut reætæ iudicat CAMPEG. VITRINGA, in ana-*  
*crisi apocalypses ad c. III, 1. p. 118.* Itas vero do-  
*tes, quæ statum alicuius ecclesiæ lætum ac flo-  
 rentem efficiunt, ecclesiæ Romanae, si ex potio-  
 ne sui parte iudicerit, haud defuisse, satis indi-  
 cant egregia illa elogia, quibus a Paullo ornatur.  
 Vocat enim Christianos, qui Romæ viuebant,  
*τηγαπηθες θεος*, homines dilectos & charos Deo.  
 Vocat *υλληρες αγιος*, qui Deo vocanti obtempera-  
 verant, perque fidem in IESVM CHRISTVM &  
 per ipsius Spiritum sanctificati Deoque consecrati  
 erant; c. I, 7. Vocat fratres c. I, 13. c. XII, 1. Te-  
 stimonium ipsis perhibet, quod fide justificati pa-  
 cem habeant cum Deo, c. V, 1. quod liberati a peccato,  
 iustitiae fuerint mancipati, fructumque percipiant  
 incrementum sanctitatis, ad extremum vitam ade-  
 pturi sempiternam, c. VI, 18. 22. quod perempti le-  
 gi per Christi corpus, in ius alterius transferint, eius  
 qui ex mortuis excitatus est, ut fructum ferant DEO,  
 c. VII, 4. quod non sint in carne, sed in spiritu, si-  
 quidem Dei spiritus in ipsis habitet, c. VIII, 9. quod*

11073

non acceperint seruitutis spiritum, sed spiritum adoptionis, per quem clamatur, abba, pater, ex cuius testimonio discant, ipsos esse liberos Dei, c. VIII, 15. 16. Hoc, inquit, de vobis persuasum habeo, mei fratres, vos omnis esse bonitatis plenos, omni refertos cognitione, qui altius alium commonefacere possitis, c. XV, 14. quibus verbis *eam* sanctitatis, cognitionisque & sapientiae mensuram a Deo ipsis tributam esse faretur, ut, vel ipso non monente, sui esse monitores queant. Iungatur caput postremum, vbi v. 1-16. lucidissima illius ecclesiae sidera, additis elogiis præstantissimis, recensentur.

Talis cum fuerit Christianorum Romanorum status, mirum sane non est, quod Paulus *ipso*rum obedientiam apud omnes increbuisse, *ipso*rumque fidem toto orbe diuulgari adfirmet c. I, 8. c. XVI, 19. Assentiri enim ea in re minime possumus viro doctissimo ERASMO SCHMIDIO, qui in *not. ad N. T. f. 982.* his verbis hyperbolēn rhetoricā adfingit. Siue enim per *κόσμον* intelligas *omnes ecclesiás conuersarum gentium*, inter quas Paulus, gentium apostolus, vbique audiebat Romanorum fidem prædicari, vti Rom. XI, 12. 15. I Petri V, 9. siue *omnes* intelligas *mundi habitati partes*, maxime quibus Romani imperabant: nihil a veritate alienum apostolus dixit. Quaecunque enim Romæ agebantur, ea velut in publico aliquo theatro, spectante ingenti peregrinorum vndique confluentium turba, fiebant, adeoque per famam longe lateque spargebantur. Vnde ad h. I. CRY-

SOSTOMVS, *Quid igitur?* inquit, *num vniuersæ terræ fides innovuit Romanorum?* vniuersæ; neque id adeo est absurdum. Non enim erat ignobilis Romanorum ciuitas, sed quasi in quodam orbis vertice collocata, omnibus vndeque terris erat conspicua. Nimirum hic quoque implebatur, quod Christus Matth. V, 14. ad discipulos suos dixerat: *Vos etsi lux mundi.* Non potest verba latere, in monte ( immo in septem montibus ) sita. Maxime quam Christiani & doctrinæ peregrinitate & morum sanctimonia tum a Romanis gentilibus, ad omne superstitionem vitæque impuritatem profligatis, tum a Iudeis, sanctæ religionis gloriam turpi vita conspurcantibus, Rom. II, 17. ita se distinguerent, ut ὡς Φωτῆρες ἐν κόσμῳ Phil. II, 15. non potuerint non in omnium oculos incurrende. Isto igitur tempore Romana ecclesia vere poterat αποσόλων Φροντισήριον καὶ τῆς ἐνσεβίας μητρόπολις, apostolorum schola & pietatis metropolis adpellari, ut a SOZOMENO hist. eccl. lib. III. c. VIII. vocatur: a beato etiam IGNATIO in limine epistolæ ad Romanos egregie laudata. (†)

\*\* Ad maculas, quas cacodæmon pulchro ecclesiæ Romanæ corpori adspergere conabatur, merito refertur.

I. Gliscens apud nonnullos libertatis euangelicæ abusus, cui Paulus passim obicem ponit, ut c. VI, 1. 2. *Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato,* ut gratia

E

tiæ

(†) Conf. quæ de vita monachorumque christianorum ecclesiæ apostolica, sed & de eorum natus adnotauit EBDDEVIS, de ecclesia apost. p. 781. seqq.

zia abunder? Nequaquam! Qui peccato mortui sumus, quomodo adhuc in eodem viueremus. Et v. 15. Quidrum? Peccabimus, quoniam non sub lege sumus, sed sub gratia? Absit! Et c. VIII, 12. Quapropter, fratres, debitores sumus non carni, ut ad carnis libidinem vivamus. Evidem qui tales consequentias ex doctrina apostolica de gratuita peccatorum condonatione necebat, maximam partem erant homines a religione christiana alieni, siue Iudei, siue Graeci; qui talia proferebant, siue traducendae religionis caussa, ac si flagitosae vitae studium commendaret; siue ut suis sceleribus patrocinium inde pararent, quod religio christiana hanc licentiam ficeret: in quos Paulus inuehitur c. III, 8. vbi *Quin potius*, inquit, faciamus mala, ut eueniant bona. Sic enim male de nobis dicitur, & sic aiunt quidam (extra coetum christianum viventes) dicere nos; qui merito damnandi sunt. Verum non incredibile est, ipsi etiam Christianorum coetui se tales subinde homines admiscebisse, qui doctrina gratiae ad procurandam carnis licentiam abutebantur. Ex *Simonis magi* (†) schola illos prodiisse, vir doctus, qui vbique Gnosticos &

Simo-

(†) Simonem magum Romæ aliquando fuisse, non plane negandum videtur. Quæ vero de *Simoni Petri* & *Simonis magi congressu* & certamine Romano, nec non de *statua Simoni* tanquam Deo, Romæ posita, narrantur, fabulis accen-

da esse ostendit ven. IOACH. LANGIUS in *diss. IV. de heresiologia* seculi I. & II. p. II. sqq. A Christianis Platoniceis hæc seculo tertio confida esse iudicat ven. IO. LAVR. MOSHEMIUS, in *diss. de turbata per Platonicos ecclesia*, §. XXX.

Simoniacos in epistolis apostolicis videt, HENRICVS HAMMONDV, in *præmonitione ad hanc epist. p. 6.* faciliter dicit, quam probat. Praua sane illa opinio naturæ nostræ ingenita est, & sine præceptore addiscitur. Neque deerant in ecclesia Romana, qui liberitate a lege rituali, qua Deus a certis cibis Iudeos abstinere iusserat, inconsideratus vtebantur, & importuna libertatis ostentatione infirmiorum animos offendebant, quos apostolus sanctissimis monitis c.XIV. & XV. ad officium redigere studet. Ex quibus capitibus simul discimus, Iudeorum conuersorum alias fuisse imbecilliores, alias magis confirmatos. *Imbecilliores* rituum erant tenacissimi; *confirmatores* vero, si talia obseruarent, in mera versabantur συναταξάσει, infirmiorum conscientiæ, ductu charitatis, consulturi: quod tamen nonnunquam facere negligebant, atque de imbecilloribus arrogantiis iudicabant.

*II. Insidie falsorum apostolorum,* quos Paulus c.XVI, 17. 18. describit tanquam auëtores factiōnum, publicorumque scandalorum, & purioris doctrinæ corruptores, qui non Domino Iesu Christo, sed suo ventri seruiant, & blanda sp̄ciosa que oratione fallant animos incautorum; quos observandos atque vitandos esse monet. HUGO GROTIUS eos hic notari censet, qui, quum ipsi Iudei non essent, vocatis gentibus imponere volebant legis Mosaicæ iugum, quos ventri seruire eiam Phil. III, 18. 19. confirmat. *Illi enim homines, GROTIUS notante: duo spectabant, primum ut semet*

*E*t alios Christianos liberarent a cruce; nam Iudeis ab antiquo permisæ erat per imperium Romanum sua religionis libertas, (†) non item Christianis. Deinde ea ratione Iudaorum sibi amicitias & inde utilitates parabant. HENR. HAMMONDVHS hæc te-  
la apostoli rursus in *Gnosticos* torqueri putat; ne-  
que IO. CLERICVS tales castigationes ad eos perti-  
nere negat, hancque illorum descriptionem ex-  
hibet in *not. ad Hammondi N. T. part. II.* pag. 72.  
*E*rant homines callidi, qui quum viderent, non pau-  
cos ampl. xos esse doctrinam Christi, eosque in paupe-  
res ex suis esse munificentissimos, & libentissime eos  
audire, qui pietatem & erudititionem aliquam pre se  
ferebant: occasione gnauiter arrepta, simpliciores  
fallebant, ut eorum sumtibus otiose viuerent, & clan-  
culum cuticulam curarent. Sed præferenda vide-  
tur HVGONIS GROTTI sententia, cui etiam CAMP. VI-  
TRINGA, in *obseru. sacris lib. IV. c. IX.* p. 994 sq.  
adsentitur, qui obseruat, Christianos ex Iudæis,  
qui statutorum legis Mosaicæ feruidi vindices e-  
rant, circa initia Neronis ecclesias gentium, a  
Paulo apostolo fundatas, vehementer turbasse;  
ut ex scripta illo tempore epistola ad Galatas pa-  
tescat. Erant illi homines ἐν περιτομῇς, Iudæi cir-  
cumcisī, & hac aliisque suis prærogatiis carnali-  
bus turgidi, Paulo autem ob desertam legis Mo-  
sai-

(†) Exhibet IOSEPHVS, antiqu. iud. lib. XVI. c. 6. c. diictum Augusti, quo con-  
cesserat τὸς Ἰουδαίος χρῆσθαι τὸν  
τόν idios Θεονοῖς κατὰ τὴν  
πατρῶν ἀντανέρομος.

saicæ cauſam infestissimi, quos in ep. ad Titum I, 10.  
 vocat ματαιολόγους καὶ Φρεναπάτας, quosque 2  
 Cor. XI, 13.26. Gal. II, 4. tanquam ψευδαποσόλους &  
 ψευδαδέλφους suis coloribus ad viuum depingit.  
 Quantam illi in quibusdam ecclesiis gentium fra-  
 gem ediderint, quot illi simplicioris animi homi-  
 nes falsa ratiocinationum specie deceperint, quot  
 alios in cursu fidei fideliter coepro remorati sint,  
 ex epistolis ad Galatas & Corinthios, quin & ad  
 Romanos, Colossenses, Philippenses, Thessalonici-  
 censes, satis liquere dicit. Conf. quæ de lucta apo-  
 stolorum cum Semitudaizantibus tradit SALOMO  
 TILLIUS, in diss. de primi seculi aduersariis, quæ  
 præfixa est eius comment. in i ad Corinth. p. 12. seqq.  
 & adde B. EVDDEI ecclesiam apost. c. III. p. m. 121.  
 seqq. Enimuero qualescumque dénum illi ho-  
 mines fuerint, quos Paulus loco citato vitandos  
 esse monet, inter ecclesiæ Romanæ maculas me-  
 rito numerantur. Videlur tamen Paulus c. XVI,  
 20. ecclesiis gentilium illarum turbarum finem  
 breui tempore expectandum polliceri, quum di-  
 cit: DEV'S pacis Satanam breui sub vestris pedibus  
 conteret. Quum enim post tredecim circiter an-  
 nos templum Hierosolymitanum a Romanis incen-  
 sum conflagraret, adeoque cultus Leuiticus, lege  
 Mosaica præscriptus, aboleretur: ista Satanæ in-  
 strumenta a proposito suo desistere tandem co-  
 acta sunt. Iungantur, quæ LACTANTIUS, in inflit-  
 diu lib. IV. c. XXI. narrat, de excidio Hierosoly-  
 ma, a Petro & Paulo Romæ prædicto.

E 3

III.

III. Dissensiones inter fideles ex Iudeis atque gentilibus ad Christum conuersos; de quibus FRIDERICVS BALDVINVS, in comment. in epistolas Paulinas, p. 7. Accedebant in nobili illa ecclesia schismata inter Iudeos & gentiles recens ad Christianismum conuersos, quorum illi hos contemnebant, tamquam eos, qui ad peculium Dei natura non pertinenter, quos doctrina euangelii vel prorsus non attingeret, vel non nisi cum observatione ceremoniarum Mosaicarum, cap. II. III. XIV. bi vero illos adsperrabantur, tamquam populum a Deo reiectum, in cuius locum ipsi nunc receperint, ut ex cap. IX. XI. adparet. Pertinent etiam ad hanc caussam, quae IO. LOCKIVS, in prefatione ad paraphrasin & notas in epistolam ad Romanos de origine illius emulacionis obseruat. Nimirum natuitas, vita, miracula, mors, resurrectio & ascensio Iesu Christi erant res in Iudea gestae. Scripta prophetarum, quibus illustres isti euentus praenuntiantur, in Iudeorum manibus erant, qui ipso Christi aduentantis tempore soli isto privilegio fruebantur, ut populus Deo carentur. Haec talia magnam Iudeis auctoritatem apud gentiles conuersos conciliabant, quippe qui nihil de doctrina salutis sciebant, nisi quod ex Iudeorum libris didicerant. Hac occasione utebantur Iudei ad se se supra gentiles ad Christum conuersos efferendos. Accedebat, quod illi ipsi, qui euangelium ex Iudeis receperant, tam pertinaciter ritibus a Moze prescriptis adhaerescerent, ut non modo credere non vellent, eos vanquam esse

esse abrogandos, sed ab ipsis etiam gentilibus eorumdem obseruationem poscerent, si beneficiis regni Messiae frui desiderarent. Repressa quidem ista opinio erat per decretum apostolicum, quo discipuli ex gentibus a iugo legis ritualis absolvabantur, Act. XV, 28. sed paulo post vehementius recrudescebat, erantque ζηλωται τοις νοεσ, qui pro Mosis auctoritate magna contentione certantes, ecclesias gentilium valde turbabant. Hic igitur fons erat infelicitum illarum collisionum, quas in Romana quoque ecclesia, ex Iudeis & gentibus collecta, obseruatas fuisse, ex quibusdam huius epistolæ locis hanc obscurè colligitur. Vide c. I, 16. c. II, 10. II. 25. c. III, 1. sqq. 9. 22. 29. c. IV, 10. II. c. IX, 24. c. X, 12. c. XI, 18. c. XII, 16. c. XV, 8. 9. 13. Conf. B. BYDDEI *eccles. apost. p. 117.*

## §. XII.

Non autem sine singulari numinis prouidentia factum est, ut hæc epistola, quæ totius religionis christianæ summam ac medullam continet, in vrbe Romana deponeretur. Cuius rei causas\* qui aqua animi lance ponderauerit, non poterit non diuinam sapientiam submisso cultu venerari.

\* Inter causas huius consilii diuini præcipuas fuisse sequentes arbitramur.

I. Roma illo tempore erat caput orbis & supremum

*enum tribunal, ad quod ex omnibus orbis terrarum partibus homines confluebant, siue ut munera publica & dignitates ambirent, siue ut litibus suis ad felicem exitum perducendis operam darent, siue ut munerum rationes redderent. Hæc hominum undique confluentium frequentia singularem præbuit opportunitatem, ut tam pretiosum fidei κειμήλιον cum omnibus nationibus communicari, & per hospites, in patriam redeuntes, maxime per Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam & Britanniam disseminari potuerit. Id quod dudum etiam MATTHIAS FLACIVS obseruauit, in glossa ad N. T. p. 641. vbi, Ideo autem, inquit, apostolus ad hanc potissimum ecclesiam tam accuratam institutionem totius christianismi conscripsit misitque, quia sciuit, illam ipsam urbem non solum esse longe amplissimam, sed etiam totius imperii sedem, emittereque in omnes terras suos ciues, & vicissim frequentari ab omnium prævinciarum hominibus: qui inde per eam occasionem institutionem veræ pietatis & huius ipsius epistole exemplar petituri & latius propagatur videbantur, sicut non raro & alias epistolæ iubet cum viciniis communicari.*

II. Rōma simile o tempore erat thronus draconis atque idolomanæ patrona. Admiserant enim Romani intra muros suos omnium fere gentium déastros; ut proinde gentilissimus ibi tamquam in sede sua debellandus esset. Accedebat, quod ab huius ciuitatis rectoribus edicta omnia tum de paganismo habiliendo, tum de christianismo oppugnando e-

ma-

manarent, adeoque in hac quasi incude tela omnia, aduersus rem Christianam emitenda, producerentur. Conuenientissimum igitur erat, ut hoc loco præstantissima illa epistola, tamquam publica pro doctrina Iesu Christi apologia, adseruaretur, quo statim in promptu esset, ad Christianos ab iis sceleribus, quæ iis in Romanorum editis impingebantur, absoluendos. Quid enim, ut rem exemplis illustremus, efficacius proferri poterat ad CORN. TACITI criminationem prosternendam, qua Christianos, Neronis iussi ad necem conquisitos, odio humani generis conuictos fuisse scribit, annal. lib. XV. c. 44. quam quæ Paulus c. XII. huius epistolæ docet, vbi v. 9. *Charitas*, inquit, *simulationis sit expers.* v. 17. *Nenini malum pro malo reddite: date operam, vt vos apud omnes homines honeste geratis.* v. 18. *Si fieri potest, quantum in vobis est, pacem cum omnibus exercete.* v. 20. *Si esurit inimicus tuus, dati comedere: si sitit, dati bibere.* Ex quo loco rete TERTVLLIANVS in apologetico cap. XXXVII. argumentatur: *Si inimicos iubemur diligere, quem habemus odire?* Et cap. XIII, 8. *Nihil*, inquit, *cuiquam debete, nisi ut ametis vos iniucem.* Nam qui alios amat, is lege perfunditus est. cert. *Nihil porro vulgarius erat, quam ut Christiani a Romanis tamquam homines seditionis, rebelles & in Cæsarem iniurii accusarentur.* Sed tota illa accusatio eneruatur per sanctissima illa præcepta de officiis ciuium erga principes c. XIII, 1. seqq. *Ista enim ut vrgeret Paulus, ipsi data fuisse videtur occasio*

casto ex ipso Claudi⁹ de expellendis Iudæis ac Christianis edicto, in quo procul dubio his crimen seditionis impactum fuit. Quare apostolus locum istum communem de magistratu & subditis in epistola ex instituto tractavit, etiam uar' ἀνθεωτον declaraturus, christiane religionis principia a seditione esse alienissima. Neque nullius momenti esse videtur hæc obseruatio, quod Paulus in nulla alia epistola materiam istam ita ex professo tractet, quia nouerat, penes Romanos eo tempore esse summam rerum, non solum in occidente, sed etiam in oriente; ut obseruat ven. IOACH. LANGIVS de vita & epist. Pauli, p. 126.

III. Roma futura erat sedes antichristi & maior apostasia, quod Spiritus Sanctus Zach. V, 5 - II. & Apoc. XVII, 18. dudum ante, quam id contingebit, prædixerat. Nihil ergo sapientiae diuinæ conuerentius erat, quam ut hæc fidei integræ cynosura in ea vrbe deponeretur, vbi apostasia vim suam exsereret; ut populus Dei in posterum iudicare posset, quantum Roma antichristiana ab orthodoxa distaret, quantumque a fide, quam Paulus ipsi tradidisset, deficiisset; quam defectionem per omnes fidei articulos pluribus ostendit IO. GVNTHERV, Theologus olim Lipsiensium meritissimus, in demonstratione solida ex epistola ad Romanos, quod ecclæsia Lutherana sit apostolica, Romana vero hodierna apostolica. Egregie præsertim SAL. TELLIVS in data humis epistolæ analysi, in opere analyticō, tom. II. p. 532. obseruauit, Paulum leges de ministerio ecclesiastico

stico rite obeundo c. XII, 3 - 8. non sine singulari  
consilio huic epistolæ ad Romanos inseruisse, quia  
in spiritu præuidebat, corruptionem ordinis ecclesiasti-  
ci, quam antichristus introduceret, inter Roma-  
nos initium capturam. Euentus enim docuit, anti-  
christum, legendas sanctorum iusto euangelii præco-  
nio substituendo, prophetiam sustulisse, analogiam  
fidei omissem, ministerium cum imperio mutasse, in-  
que eos contulisse, qui se debitiss laboribus subduce-  
bant. Largientibus desuit simplicitas, quando colla-  
tiones diuinarum factæ sunt ad querenda iura pa-  
tronatus. In præfectis disciplinæ desuit diligentia  
per socordiam in corrigendis vitiis; unde orta fuit  
indulgentiarum nundinatio. In misericordiæ exer-  
citio desiderata fuit latititia, quando opera misericor-  
dia habita sunt ut meritaria, immo animas e purga-  
torio liberantia. Hæc si Roma attenderet apostatica,  
facile obseruaret, quantum politia sua ecclesiastica  
recesserit a simplicitate & legibus, quas Paulus ipsi  
præscriperat. Et rursus p. 533. Dum Paulus, inquit,  
subiectionem magistratibus debitam c. XIII, 1 - 7. vr-  
get, quidni prospexerit, sedem Romanam fore sedem  
antichristi, cuius singularis χαρακήρεστ, se efferre  
supra omne σέβασμα, 2 Thess. II, 4. Quare inter  
Romanos voluit extare delineationem officii subor-  
dinationis sub potestatibus mundanis. Quod officium  
quum dicit omnium animarum esse, palam includit  
ecclesiæ inspectores; quo aliquando episcopus Roma-  
nus per epistolam ad Romanos reddi possit ἀναπολο-  
γητος. Quod Paulus, dum c. I, 18 - 32. malos mores  
Romæ

Romæ paganæ describit, simul per spiritum propheticum malos Romæ antichristianæ mores delineaverit, per omnia ostendit CORNELIUS ADAMI, in *exercitationibus exegeticis p. 553. seqq.* (vide etiam in indice tit. *Romani hodierni*) indeque p. 560. probat, iure summo ab eius communione protestantes secessisse, neque iugum papatus semel excussum iursum esse suscipiendum; id quod etiam JOSEPHVS HALL, episcopus ecclesiæ Anglicanæ, in tr. *Roma irreconciliabilis*, pluribus demonstrauit. Neque transmitenda silentio est B. LVTHERI obseruatio in fine prefat. ad hanc epistolam, vbi *Vltimum*, inquit, *caput complectitur salutationes, atque his subiicit vere apostolicam & valde necessariam admonitionem, scilicet vitandas esse tamquam pestem, tamquam extremam luem fidei, doctrinas & traditiones hominum, quibus præter verbum euangelii pseudapostoli seducunt corda simplicium. In spiritu enim vidit apostolus, e Roma & e Romanis, Romanistas quosdam (neque enim digni sunt Romanorum nomine) exorituros, qui per impias & blasphemias suas decretales, & totam hanc humanarum legum & traditionum lernam, non aliter atque per vastum quoddam diluvium, non modo hanc epistolam, sed & uniuersam scripturam, omnemque piam doctrinam fidei & spiritus submergerent, extinguerent & perderent, ut nihil nobis sit reliquum, nisi idolum hoc, venter, cuius cultores tum hic, tum Phil. III. eos palam nominat. Adde, quod Paulus c. XI, 22. excidium ecclesie Romane haud obscure prædixerit: Alioqui si non per-*

permanseris in gratia, (a qua ecclesia Romana per doctrinam de meritis operum dudum deflexit) etiam TV excinderis.

§. XIII.

Quo anno diuina hæc epistola a Paulo scripta sit, de eo non eadem est omnium sententia. Evidem in quam vitæ Paulinæ periodum eius scriptio generatim inciderit, criteria epistolæ insita \* satis produnt. Sed in anno accuratius definiendo nonnihil dissentitur. \*\*

\* Ex ipsa epistola discimus, scriptam eam esse,

I. Antequam Paulus Romam veniret, quod factum est mense Februario, anno Neronis septimo, æræ vulgari LXI, quum Porcius Festus Iudeæ præcesset. Non dum enim Paulum, quum hanc epistolam scribebat, Romani vidisse, ex c. I, 10. seqq. c. XV, 22. luculenter adparet, quibus locis flagrantissimum suum desiderium exponit, Romanos tandem aliquando videndi, qua cupiditate se iam a multis inde retro annis teneri scribit c. XV, 23. Iamendum enim, quum Ephesi commoraretur, hoc propositum ceperat, teste Luca Act. XVIII, 21. ubi, His peractis inquit, statuit cum animo suo Paulus, perlustrata Macedonia & Achaia, Hierosolymam proficisci, dicens,

cens, postquam illuc peruenisset, Romam quoque sibi  
visendam. Primum vero desiderium Romanos  
videndi Paulus concepisse videtur, quum A. C. LII.  
Corinthum veniret, ibique Aquilam & Priscillam  
deprehenderet, qui nuper ex Italia venerant, quique  
procul dubio de florente ecclesiæ Romanae statu  
multa ipsi narrauerunt.

*II. Antequam Hierosolymam proficisceretur,*  
cum pecunia pro fratribus pauperibus per Macedo-  
niam & Achaiam collecta; quod tamen iter, quum  
has literas scribebat, iam meditabatur. c. XV, 25. 26.  
31. Venit autem Hierosolymam A&t. XXI, 17.  
cum pecunia collecta c. XXIV, 17. post festum pen-  
tecostes, mense Iunio, c. XX, 16. Felice iam multis  
annis Iudeam regente, c. XXIV, 10. id quod ex cal-  
culo IO. PEARSONII, in annal. Paul. p. 27. anno Nero-  
nis quarto, æræ vulgaris LVIII, contigit.

*III. Ante omnes epistolas in vinculis scriptas;*  
inter quas tamen ultimum hæc locum occupat,  
siquidem vincula eum iam tum, quum hæc scri-  
beret, Hierosolymis exspectabant: A&t. XX, 23. c.  
XXI, 11. vnde & Romanos c. XV, 30. 31. exhorta-  
tur, vt apud Deum pro ipso intercedant, quo a  
contumacibus, qui sunt in Iudea, liberetur. An-  
tecessit igitur hæc epistola epistolas ad *Philippen-*  
*ses, Ephesios, Colossenses & Philemonem;* ex vinculis  
Romanis scriptas.

*IV. Post scriptam secundam ad Corinthios*  
epistolam. Ibi enim 2 Cor. VIII, 7. c. IX, 1. 5. Co-  
rinthios, Achaæ incolas, ad colligendam pro  
pau-

pauperibus fratribus in Iudea pecuniam adhortatur; hic vero Rom. XV, 25. 26. se cum collectis per Achiam pecuniis Hierosolymam profici si gnificat. Quod igitur futurum erat, quum scriberetur posterior ad Corinthios; illud iam factum erat, quum epistola ad Romanos scribetur.

V. Post mortem Claudii imperatoris, qui anno ærae vulgaris LV. decepsit: quia exules, sub Claudii imperio exacti, iam in urbem redierant, ut exemplis Priscillæ & Aquilæ constat, qui nuper Claudii edito urbe pulsæ, Actor. XVIII, 2. nunc ut Romæ rursus degentes salutantur, Rom. XVI, 3. Claudii edito cum eius vita vim suam amittente. Ex his igitur criteriis, epistole insitis, tempus scriptiorum facilis negotio indagari potest.

\*\* SAL. TILLIVS in *opere analyticō tom. II. p. 525.* scriptam iudicat anno ærae vulgaris LV, Neronis I; 10. LIGHTFOOTVS & SAM. BASNAGIVS anno Christi LVI, Neronis II; IACOBVS VESSERIVS, in *annualibus veteris ac noui test. pag. 638.* A. C. LX. Nos, cum 10. PEARSONIO, in *annual. Paulinis p. 26.* cum LVD. ELLIES DV PIN, in *proleg. super biblia tom. II. p. 48.* cum AVGVSTO VARENIO, in *analyſi & exegſi ep. ad Romanos p. 7.* cum ven. IOACH. LANGIO, *de vita & epift. Pauli pag. 224.* & im *Apostolischen Licht und Recht, f. 17.* aliisque, scriptam existimamus A. C. exeunte LVII, Neronis III, muneris apostolici XXI, ante primum Pauli ad Romanos aduentum IV; quo ipso anno etiam utraque ad *Corinthios,*

*thios*, nec non epistola ad *Galatas* non diu ante exarata a PEARSONIO loc. cit. putatur.

## §. XIV.

De *loco*, quo Paulus fuit, quum ad hanc epistolam Romanis mittendam diuinitus excitaretur, nulla controuersia est. *Corinthi* enim scriptam illam esse, quum apostolus altera vice \* ibi commoraretur, pauci erunt, qui non vnanimi consensione fateantur. \*\*

\* Bis Paulus Corinthi fuit: 1) Anno Christi LII, Claudiu xii, quo tempore ex yrbe Atheniensium eo profectus Aquilæ & Priscillæ hospitio vtebatur, Actor. XVIII, l. 2. Prima eius ibidem cura erat Iudeorum, quos ut Christo lucrifaceret, sancto pii zeli feruore exæstuabat, v. 5. Illis autem ad blasphemiacæ vsque crimen euangelio obnitentibus, Paulus, vestibus suis excussis, ad gentium salutem impensius curandam se conuertit, v. 6. seqq. Quid porro tunc Corinthi gestum sit, pluribus ordine enarrat ven. IOACH. LANGIVS, in *vita Pauli*, p. 92. seqq. Illo tempore Paulum multa de christianis Romanis inaudiuisse, & ex eo valde concupiuisse Romanum videre, IO. PEARSONIVS, in *annal. Paulinis* p. 23. coniectat. Denique anno Christi LIV. in eunte Corinthum rursus reliquit, postquam per annum & dimidium, euangelium ibi & ore prædicasset,

dicasset, & scriptis ad Thessalonicenses epistolis propagasset. Corinthon nauigat Ephesum, & inde Cæsaream, salutataque ecclesia Hierosolymitana, proficiscitur Antiochiam. Hinc, peragrata Galatia & Phrygia, Ephesum redit, ibique per integrum fere triennium subsistit, ac priorem epistolam *ad Corinthios*, nec non eam ad Galatas scribit. Tandem Epheso pernotus a Demetrio excitatos pulsus, venit Troadem, unde nauigat in Macedoniam, ubi posteriorem ad Corinthios epistolam mittit. Ex Macedonia rursus in Achiam profectus, tres ibi menses exigit, Act. XX, 2. Intra hoc tempus 2) altera vice A. C. LVII. *Corinthum*, Achiae metropolin, videt, collectas in Achia eleemosynas accepturus, ibique epistolam ad Romanos componit. Mox tamen, insidiis Iudeorum coactus, ex Graecia in Macedoniam redit, &, post dies azymorum Philippis transactos, tandem mense Junio anni LVIII. Hierosolymam cum collectis eleemosynis venit.

\*\* Corinthi scriptam esse præstantissimam hanc epistolam, præter subscriptionem inde adparet,

I. *Quia commendat Romanis c. XVI, 1. 2.*

*Φιλέμων της ἐπιτυχίας τῆς ἐν Κεύχρεος,* cui etiam Romanam proficisciendi, hanc epistolam Romanis tradendam commisit. Erat autem *Cencrea* oppidum Corinthon vicinum atque marinum, portu insigne, in quo Paulus, perinde

ac in ipsa Corintho, ecclesiam plantauerat, cum ministerio Phœbe sedicarat.

II. *Quia inter amicos, qui Romanos, Paulo interprete, salutant, comparet etiam 1) Timotheus ac 2) Sospatros, (†) Rom. XVI, 21.* qui Paulum comitabantur, quum relicta Achaia & Corintho iter Hierosolymitanum ingredetur. Act. XX, 24. Comparet inter eosdem 3) Gaius, non Macedonicus ille, Act. XIX, 29. neque Derbensis, c. XX, 4<sup>a</sup> sed Corinthiensis; quem Paulus Corinthi sacro lacravo tinxerat, I Cor. I, 14. Hunc Rom. XVI, 23 vocat Εὐρον, hospitem suum, quod Paulum, altera vice Corinthi commorantem, in aedes suas receperat. Comparet denique 4) Erastus, oeconomicus urbis Corinthiacæ, quem, ab hoc munere forte remotum, Paulus inter εὐσεγγές suos cooptauerat, eumque cum Timotheo Ephesō præmiserat in Macedonia & Achaiam, Act. XIX, 22. & de quo in Tim. IV, 20. *Erastus, inquit, mansit Corinthi.*

Erat autem *Corinthus*, ubi hanc epistolam scriptam esse, ex allatis indicis constat, FLORO teste lib. II. c. XVI. *Achaia caput, Gracie decus, inter duo maria, Ionicum & Aegeum, quasi spectaculo exposita, duos habens portus, stationibus nauium aptissimos, Cenchreum ad ortum, qui naues ex Achaia venientes recipiebat, & Lechaum, versus solis occasum; in quem naues ex Italia & Cilicia*

(†) Qui Act. XX, 4. εώ-  
ταυρός dicitur, quamvis αλιι codices ibidem legant  
Σωτηρός.

commodissime adpellebant. Hinc vrbs mercatura per Asiam & Europam florentissima atque opulenta, sed & luxui dedita erat, deleta quidem a Romanis, Mummio consule, anno ante æram christianam CXLIV, at, a Iulio Cæsare instaurata, mox pristinum splendorem recuperauit, Romanorum facta colonia. Hinc omnes fere incolæ, teste PAVSANIA in *Corinthiacis*, Romani fuerunt. Hic igitur Paulus, & ipse ciuis Romanus, libenter versabatur, commodusque erat hic locus, litteras Romam mittendi, quod Corinthiorum cum Romanis perpetuum erat & fere quotidianum commercium. Plura de hac vrbe collegit SAL. TILLIVS, in *commentario posthumo in quatuor Pauli epistolas*, priorem ad Corinthios, Ephesios, Philippenses ac Colossenses, p. 3. seqq.

## §. XV.

Quæ occasio Paulo oblata fuerit ad hanc epistolam scribendam, parum essemus curaturi, nisi eius notitia ad scopum scripti adcuratius definiendum viam pararet. \* Grata autem mente agnoscendum est, in ipsa epistola passim exstare vestigia occasionis, ad eam scribendam suppeditatæ. \*\*

\* Conf. quæ in *institutionibus nostris hermeneuticis* ea de re diximus, p. 120. 180.

\*\* Non hic indulgendum est incertis conjecturis, ad quas forte non immerito retuleris, quæ FRID. BALDVINVS, de studio ceterum exegeticō egregie meritus, in prolegom. ad hanc epistolam p. 7. (edit. in fol.) & MICH. WALTHERVS, in officina bibl. §. 1109. aliique, de penuria sincerorum doctorum in ecclesia illa, quam Paulus hac epistola supplere voluerit, commentantur. Hæc enim a doctissimis theologis fingi, facile perspiciet, qui legerit, quæ Rom. XII, 6. seqq. cap. XVI, 3. seqq. a Paulo scribuntur. Certiora, & argumento epistolæ magis consentanea, de occasione scriptoris tradit ven. IOACH. LANGIVS, in vita Pauli, p. 224. & SAL. TILLIVS, in opere analyticō, tom. II. p. 520. ex quorum mente quadruplex statui potest occasio.

I. Fama, instar εὐωδίας gratissimæ, iam dudum de ecclesia Romana per orbem sparsa, & Paulum incendens desiderio, ad eam in itinere, quod meditabatur, Hispanico, visendam; c. I, 8. seqq. c. XV, 14. c. XVI, 19. Cupiebat enim videre eos, ut diuinum aliquod beneficium cum illis communi-caret, c. I, 11. Cui desiderio quum per varia impeditamenta, toties totiesque ipsi obiecta, hucusque satisfacere non licuisset, c. I, 13. seque nihilominus sentiret obstrictum, ut Romanos quoque (ipse imperii Romani ciuis & gentium doct̄or) euangelio imbueret: per literas interim absens ad spiritualem ipsorum profectum aliquid conferre studuit, quum praesens nondum posset: maxime quum commoda id exequendi occasio offer-

par est, a capite ad calcem integrum epistolam sine interruptione perlustrauerit, \*\* non facile cognosci queat.

\* Venerandus abbas, IOACH. IVSTVS BREITHAVPT, in *enarratione historico-paraphrastica epistolæ ad Romanos*, quæ exstat in ven. FRANCKII manuductione ad lectionem jcripturæ sacrae p. 219. pluribus verbis huius epistolæ argumentum recenser, eiusque velut nucleus exhiberi dicit verbis c. XI, 32. *Conclusit Deus omnes in infidelitatem, ut misereatur omnium. In hoc uno enim, inquit, undique totum obseruamus Paulum occupari, ut hominē admantur cuncta, & Deo tribuantur omnia.* Ven. IOACH. LANGIVS, in comment. de vita & epistolis Pauli p. 225. his verbis epistolæ argumentum, in breuissimam summam contraectum, circumscribit: *Paulus Romanos in agnita doctrina euangelica & religione christiana confirmat; & ita quidem, ut materiam eius præcipuam de iustificatione per fidem in Christum, cum immixtis reliquis doctrinis, egregie declareret, cum in se, tum ratione fructuum & effectuum, in renovationis ordine conspicuorum. Præterea offensis iustificationis impedimentis, in gente Iudaica deprehensis, & apud gentiles remotis, horum adsumptionem, & istius rectionem, futura tamen conuersione terminandam, exponit, & tandem varia iustificatorum officia, speciatim confirmationum erga imbecilliores ex Iudeis conuersos, commendat; adventus promissione, variisque salutationibus, inter monita alia subiungit. Addimus delineationem*

ak-

argumenti pleniores, quam b. SEB. SCHMIDIVS, in  
prælectionibus acad. ad VI priora epistole ad Rom. ca-  
pita, dedit p. 3. 4. Paulus post consuetam in epistolis  
salutationem, & expositum veniendi Romanam deside-  
rium, promittitudinemque prædicandi Romanis euan-  
gelium, ipsum euangelium sic illis tradit & proponit,  
ut doceat primo, solum euangelium esse virtutem di-  
vinam illam, qua iustificantur per fidem & saluentur  
credentes quicumque, siue Iudei, siue gentiles; quem  
extra euangelium omnes homines sint sub ira Dei, nec  
possint siue per notitiam Dei naturalem, siue per legem  
Mosaicam iustificari atque saluari: ut adeo homo  
iustificetur sola fide sine operibus legis, sicut & Abram  
fide sola iustificatus sit, factus pater omnium  
credentium, tum Iudaorum, tum gentilium; ut etiam  
per omnem vitam nostram eadem iustificandi ratio  
maneat, nec alia, e.g. per opera bona, (quam pontifices  
secundam vocant) succedat: moneat deinde Roma-  
nos, non tamen ex hac doctrina sequi, quasi in pecca-  
tis manere & impune peccare liceat, sed contrarium  
potius, quod Christo & iustitiae seruire, & non secun-  
dum carnem, sed secundum spiritum vivere debea-  
mus: quam iustificationem per fidem solam, & vitam  
secundum spiritum transigendam si obseruemus, per  
totam vitam usque ad finem de æterna nostra salute  
securi esse queamus. Neque enim gentiles sibi imagi-  
nari debere, quasi absoluto quodam decreto Iudei re-  
iecti sint a Christo, & gentiles in locum eorum adsum-  
ti, ita ut, quemadmodum Iudei ad gratiam Christi  
redire nequeant, sic gentiles eam amittere non possint;

sed

Sed contra hoc statuere, quod conditionata suo modo sit voluntas Dei, ut Iudei, si in incredulitate sua non permanerint, habeant ad gratiam redditum; gentiles vero, si superbierint, gratiam amissuri sint. Qua de causa Romani & quicunque gentiles omnino vita sancte in fide viua studere, & secundum spiritum ambulare debeant; quem in finem regulas sanctae vitae prolixe in postremis capitibus proponit, & conuenienti epilogi tandem epistolam claudit. Videri etiam de argumento huius epistolæ potest IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, in enchiridio biblico, lib. III. c. VIII. §. 10. SAN. TILLIVS, in opere analyticō, tom. II. p. 521. AVG. VARENIVS, in analysi & exegesi epistola ad Rom. qui argumentum epistolæ p. 25. ex mente orthodoxum, & p. 28. ex mente pontificiorum exhibet. Prolixissime illud ob oculos ponit B. IO. HENR. MAIVS, inconomia temporum N. T. c. XII. p. 236 - 271. Add. VEN. CHRIST. EBERH. WEISMANNI diss. de fide & officiis christianorum doctrina Pauli, ex illius ad Romanos epistola.

Bene IO. LOCKIVS, in *Essai pour entendre St. Paul*, ex recensione IO. CLERICI, in biblioth. selecta, tom. XIII. n. 2. Diuisio epistolarum Pauli per capita & versiculos nexus orationis admodum sape turbat, & prudentioribus etiam nonnunquam viris imponit, ut vim orationis, qua a concatenato cogitationum nexus dependet, non ubique videant. Oculo enim turbato per has sententias distractas, que propter distinctiones illas fragmenta separata esse videntur, ingenium nimis infirmum vix impetrare a se potest, ut eas

OIG

tas tanquam partes eiusdem sermonis inter se conne-  
ctas intueatur. Non est certe laudanda methodus ad  
recte intelligendam epistolam, si illa per sectiones &  
interualla, mediis saperatiocinitis interiecta, lega-  
tur. Si epistola Ciceronis ita discerperentur, multum  
& claritati & gratiae illarum deraberetur. Et paucis  
interiectis: Facile videbam, quod, si quis ad me lite-  
ras daret, epistolæ Pauli ad Romanos stilo & amplitu-  
dine pares, ego vero illas in decom vel plures partes  
dissecarem, singulis diebus perlegendas, nunquam fit-  
turum sit, ut eas plene intelligerem. Tota epistola a ca-  
pite ad calcem perlegenda est, & attendendum, quod  
nam pricipium eius argumentum sit, & quo tendat,  
aut num plures in ea scopi sunt, quorum nullus ab al-  
tero pendeat. Concluēbam igitur, necesse esse, ut v-  
nam epistolam apostolicam continua serie perlege-  
rem, eiusque scopum & mentem obseruarem. Lucem,  
quam prima lectio accenderat, altera augebat, atque  
ita perrexi constanter totam epistolam legere, donec  
generatim deprehenderem scribentis consilium, me-  
thodumque, qua consilium suum exequitur. Est hoc  
idem illud consilium, quod dudum etiam WOLFG.  
FRANZIVS de modo legendi sacra biblia, in tr. de in-  
terpretatione scripturæ, p. 6. suppeditauit.

## §. XVIII.

Admiranda est huius epistolæ  
structura,\* & scrutinio diligentiore di-  
gnissima. Id quidem vnicuique legen-  
ti obuium est, constare illam, ut pleras-  
que reliquias Pauli epistolas, exordio ,  
pro-

propositione, tractatione & conclusione; \*\* sed diuinum illud artificium, quo in tractatione præsertim coagmentanda apostolus vsus est, non nisi a peritioribus verbi diuini scrutatoribus obser-vatur. \*\*\*

\* Rectissime HENRICVS HORCHIVS, in *adparatu ad demonstrationem epistolæ Pauli ad Romanos*, p. 2. Formam, inquit, si spectes atque structuram e-pistolæ, et tam concinne, tamque admirabis compre-  
ritur, ut Paulus vere hic se exhibuerit σκηνοποιὸν  
atque peritum architectum. In toto enim scriptura-  
rum sacrarum corpore nullibi magis conspicua est  
ἀπέδεξις τῆς πνεύματος καὶ δυνάμεως, potens de-  
monstratio spiritus, quam in hac ipsa epistola; ut non  
minus Spiritus Dei, quam diuus apostolus hoc data  
opera videantur egisse, ut manifestacione veritatis  
se commendarent ad omnem conscientiam homi-  
num. Quot enim hic versiculos vides, tot annulos sere  
ansulasue aduertis (particulas in uno connexias, ra-  
tionalias, illalias, ζ, γαρ, υντ, ἀπε, ἐν, διό, διότι,  
&c.) quibus diuinum hoc edificium tam apte arte-  
que cohæret, ut nullibi deprehendatur hilicum, nulla  
debiscens rima, nullo satiscens hiatu; sed partes suas  
undique habens tam affabre compactas, ut vere com-  
pareat opus artificis, exhibendo systema veritatum  
caelestium, non minus stabile quam artificiosum, mu-  
tuis se commissuris tam firmiter stringentium, ut  
contra quosvis aduersantium impetus persistat immo-  
tum.

G

\*\* Ex-

\*\* *Exordium* habetur c. I, 1-15. *Propositi-*  
*o generalis* totius epistolæ v. 16. 17. legitur. *Tra-*  
*etatio bipartita* est, & constat tum parte *dogmati-*  
*ca*, c. I, 18 - c. XI. fin. tum *prætica seu paræticæ*,  
*c. XII, 1 - XV. 13.* Denique *conclusio* c. XV, 14. usq.  
*que ad finem c. XVI. extenditur.*

\*\*\* Variis modis periti verbi diuini tra*ctatores* huius epistolæ analysin & dispositionem ad*ornauerunt.* Quidam, inter quos IO. BRENTIVS  
*eminet*, eam distribuunt secundum tres virtutes  
*theologicas*, *fidem*, *spem*, *charitatem*; ut *fides*  
*doceatur* primis IV. capitibus, *spes* non confun-  
*dens* c. V. ad XI. *charitas* denique c. XII. seqq.  
 Alii analogiam cum artis medicæ partibus analysi  
*substernunt*, ut in ea ostendatur 1) *Morbus*, in-  
*iustitia hominis*, c. I. II. III. 2) *Remedium* ad-  
*versus morbum*, iustitia Christi fide adprehendenda, c. III - XI. & denique 3) *Diæta*, quam ob-  
*seruare* debeant tanto malo liberati, c. XII, seqq.  
 quæ diuisio IO. GERHARDO, theologo artis saluta-  
*ris* peritia haud leuiter imbuто, placuit in *adno-*  
*tat. posthumis ad hanc epist. a filio IO. ERN. GER-*  
*HARDO editis, p. 13. 14.* Alii epistolam commode  
*dispesci* posse censem secundum tres partes con-  
*versionis*, ut doceatur 1) *Contritio* ex cognitione  
*propriæ iniustitiae* orta, c. I. II. III. 2) *Fides*,  
 quæ amplectitur remissionem peccatorum, c. III -  
 XI. ac 3) *Nova obedientia*, tanquam consequens  
*fidei*, c. XII, seqq. Ad hanc ideam MATTHIAS FLA-  
*civs* huius epistolæ dispositionem formauit in *glos-*

sa

*sa compend. N. T. p. 644. sqq.* qui etiam *parr. II.*  
*clavis, tract. V. p. 510.* Methodi, inquit, *hic apo-*  
*stolus solerissimus fuit artifex, sedulusque sectator.*  
*Cuius artis primarium caput est, ut doctrina recte*  
*secetur ac proponatur; quod ipse summa diligentia*  
*facit ad imitationem sui unici praceptoris Christi:*  
*nempe ut primo proponat contritionem aut legis do-*  
*ctrinam; deinde euangelii aut gratiae: fides tua sal-*  
*vum te fecit; ac postremo nocte obedientiae, seu Va-*  
*de & noli amplius peccare. Quae sane diligentissi-*  
*me in hac epistola sunt obseruata.*

SAL. TILLIVS, vir in analysi scripturæ exercitatissi-  
mus, in *opere analyticō*, tom. II. p. 525. sqq. in tres  
partes *translationem* huius epistolæ fecit. Continet  
enim ex eius mente I. EXPOSITIONEM DOCTRINÆ de  
*iustitia fidei*, vbi demonstrat 1) *necessitatem iusti-*  
*tiae imputatæ ad spem salutis, ex defectu iustitiae*  
*propriae, ex parte gentium pariter ac Iudeorum*, c.  
I.-III, 19. 2) *veritatem iustitiae fidei*, ex testimonio  
*legis & prophetarum*, c. III, 20. -c. IV. fin. 3) *suffi-*  
*cientiam ad integrum restitutionem peccatoris*, vbi  
*ita argumentatur: Quæ iustitia sola, quidquid ad re-*  
*staurationem peccatoris requiritur, in solidum præ-*  
*stat, ea demum pro vera agnoscenda & querenda*  
*est. At hæc omnia sola præstat iustitia fidei. (Liberat*  
*enim hominem α) a reatu, c. V. β) a macula & domi-*  
*nio peccati, c. VI. VII. γ) a pena peccati, c. VIII.)*  
Ergo *vnicē sectanda est. Altera parte II. proponit*  
*CAVTELAM credentibus ex gentibus obseruandam*, vbi  
*I) Quærela Pauli super Iudeorum reiectione*, c. IX.

2) *Annotatio caussæ scandali & offendionis Iudeorum in Christum, quam docet fuisse ingnorantiam iustitiae fidei, c. X.* 3) *Commone factio gentium, ut suam substitutionem in locum Iudeorum non trahant in argumentum vilipendii gentis Iudaicæ, c. XI.* Parte ultima III. addit *ADHORTATIONEM ad fructus iustitia fidei dignos ferendos, vbi præscribit 1) officia socialia in conuersatione tum ecclesiastica, c. XII, I-8. tum vniuersali, v. 9-13, 2) officia politica tum erga magistratus, tum erga ciues, c. XIII. 3) officia adiutoria, in quibus suader tum susceptionem infirmorum, c. XIV, I - 13. tum vitationem scandali, c. XIV, 13 - c. XV, 15. vbi incipit epistolæ *epilogus*. Digna etiam est, quæ inspiciatur analysis, quam suppeditat ven. IO. CHRISTOPHORVS MEVRER, in *adparatu ad hanc epistolam isagogico*, p. 31. in qua id quam maxime laudandum est, quod diuisionis fundamentum in ipsis apostoli verbis sollicite queratur. Item analysis IO. HENR. HEIDEGGERI, in *enchoridio biblico*, & ven. IO. LANGII, de *vita & epistolis Pauli*, p. 230. qui I. in parte *DIDASCALICA* agi censer de iustificationis 1) *Subiecto*, c. I - III, 20. 2) *Modo*, c. III, 21 - c. IV. fin. 3) *Effectibus*, vbi iustificatorum beneficia, c. V. officia in renouatione, c. VI. VII. & priuilegia c. VIII. recensentur; 4) *Impedimentis* in gente Iudeorum, ob απιστιαν & præposteriorum iustitiae studium reiecta, sed aliquando rursus conuertenda. c. IX. X. XI. In parte II. *PAEDEVNTICA* præscribi censer officia 1) *moralia*, c. XII. 2) *politico-ethica*, c. XIII. 3) *ceremonialia*, c. XIV, XV. Inter refor-*

ma-

J. XVIII. ET ANALYSIS EPISTOLAE. 101

mate ecclesiæ doctores præcipuum operam in concinnanda huius epistolæ analysi, eiusque concatenato nexu atque argumentationum filo demonstrando adhibuit IACOBVS ALTINGIVS, o-  
perum tom. IV. p. 368-388. usque ad minutias in sua analysi, hinc inde aliquantis per coacta pro-  
gressus; nec non MARCVS VAN PEENE, in expli-  
cat. epistolæ ad Romanos. Nos libenter relin-  
quimus lectori libertatem eligendi ex his, quas  
repræsentamus, dispositionibus eam, quæ  
maxime placeat. Liceat tamen & nobis aliquam  
exhibere *ideam nexus sapientissimi*, quam, do-  
ctissimorum virorum obseruationibus adiuti,  
in hac epistola obseruauimus. Occurrit in ea

N EXORDIVM, duabus partibus con- c. I.

stans, quarum *prima* complectitur *Salutario-*  
*nem*: Paulus Romanis optat salutem, vbi  
1) *Auctor scribens*, eiusque character, quo est  
seruus Iesu Christi, segregatus ad euangeli-  
um, v. 1. in cuius laudem sese diffundit, il-  
ludque commendat a) *ab antiquitate*, v. 2.  
b) *ab illustri suo argumento*, quo agit de Iesu  
Christi tum *persona*, v. 3. 4. tum *beneficiis*, v. 5.  
2) *Illi*, ad quos scribitur, v. 6. 7. 3) *Votum*:  
quod complectitur tum bona, quæ optantur,  
tum illorum bonorum fontem & scaturig-  
nem, v. 7. Pars altera exordij sicut *adfectus*  
*apostolici significationem*, quam declarat 1) *En-*  
*comio Romanorum erga Deum* eucharistico,  
v. 8. 2) *Iugi sua recordatione*, v. 9. 3) *De-*

G 3 side-



fiderio ipsos videndi, quod tanquam materiam precium suarum v. 10. partim describit ratione tum scopi, v. 11. 12. tum impedimenti, v. 13. partim declarat & iustificat ex indole officii sui cecumenici. v. 14. 15. Priore exordii parte studet Romanos reddere attentos & dociles; posteriore parte id agit, ut eos sibi benevolos efficiat.

**P**ROPOSITIO, quæ exhibetur v. 16. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, Iudeo primum, deinceps Græco. Et declaratur v. 17. Nam in eo iustitia Dei reuelatur, ex fide in fidem, quemadmodum scriptum est: *Iustus ex fide, viuet.* Obseruauit ven. IO. GVIL. ZIEROLDVS, in analogia fidei per exegesin epistole ad Romanos demonstrata, in hac propositione totius partis dogmaticæ prima rudimenta contineri. Nimurum dum euangelium dicitur potentia Dei ad salutem, excluditur ab efficienda salute potentia hominum, quorum summa impotentia ostenditur tum in aperte impiis, c. I, 18. ad fin. tum in hypocritis, c. II - III, 20. Huic potentiae humanæ medetur euangelium, quod se tanquam Dei potentiam demonstrat tum in iustificatione, quæ sit sine legis operibus ex sola fide, c. III, 21. - ad fin. c. IV. tum in iustificationis continuatione, quæ est conservatio pacis & gratiæ per Iesum Christum, vera fide apprehensum, c. V. tum in sanctificatione,

c. VI.

### §. XVIII. ET ANALYSIS EPISTOLAE. 103

c. VI. vbi per potentiam Dei dominium peccati infringitur, quamuis non sine lucta carnis & spiritus, c. VII. quæ tandem definit in salutarem victoriam potentiae Dei supra impotentiam hominis. c. VIII. Verba, *Iudeo primum, deinceps Græco*, c. IX. X. XI. declarantur, vbi viae Dei in reiiciendis Iudeis, & adsumendis Græcis seu gentilibus, exponuntur, ostenditurque, *Iudeos* rejectos esse ob neglectam potentiam Dei ad salutem, & vanam persuasionem potentiae propriæ carnalis; gentiles autem, infirmitatem suam sentientes, per agnitam potentiam Christi peruenisse ad salutem. ceterum.

TRACTATIONIS pars DOGMATICA, qua doctrina de iustitia fidei, in euangelio reuelata, pertractatur, vbi

I. Subiectum iustificationis, seu homines iustificandi, qui sunt

I.) *Gentiles*, tum *crassiores*, lumine naturæ in poenam turpissime abusi, vbi a) lumen naturæ, v. 19. 20. coll. c. II, 14. 15. b) abusus, v. 21. 22. 23. 25. 27. pœna, traditio in peccata plura & foedi-ora aduersus se, v. 24. 26. 27. 28. & aduersus aliros, v. 29. sqq. tum *honestiores*, quos e) accusat, c. II, I. b) accusationem confirmat, v. 1. 2. y) ob-jectiones remouet, vbi dicere poterant, nullum ipsis instare iudicium condemnatorum, v. 3. II. vel, si tale iudicium in ipsis exerceatur, il- lud esse iniustum, v. 12. - 16.

G 4

2) Iu-

2) *Iudæi*, quos a) de defectu veræ iustitiae conuincit, & quidem tum doctos & excellentiores, v. 17-24. tum viliores & idioras, qui omnem fiduciam in circumcisione ponebant, v.

c. III. 25. fin. s) obiectiones eorum remouet, c. III, 1-8. i) nodum conuictionis arctius constringit, ubi ostendit, partim Iudæos in foro diuino nulla prærogativa gaudere, partim grauissimo illos reatu constrictos teneri. v. 9-19. Quum igitur tum Græci tum Iudæi sub reatu hæreant, propria iustitia destituti, concluditur v. 20. per opera neminem iustificari, vnde porro conficitur necessitas iustitiae imputatae. Iustificandus enim in forum diuinum adferre debet sive iustitiam propriam, sive alienam, ipsi imputatam. Atque propria omnes destituuntur. Ergo opus est iustitia aliena, nobis imputanda.

*II. Modus iustificationis per fidem*, ubi vera sententia 1) proponitur, c. III, 21-26. 2) vindicatur ab obiectionibus Iudæorum, & declaratur, v. 27- fin. 3) illustratur exemplo *Abrahami*, cuius exemplo comprobatur, a) iustificationem sola fide fieri sine operibus legis; id quod probat ex modo, quo Abrahamus iustificatus fuit, c. IV, 1-8. b) Iudæos pariter ac gentiles eadem ratione iustificari; id quod probat ex statu, in quo Abrahamus iustitiae testimonium reportauit, v. 9 - ad fin.

*III. Effectus iustificationis euangelicæ, qui sunt*

1) *Ls.*

§. XVIII. ET ANALYSIS EPISTOLAE. 105

1) *Liberatio a culpa & reatu.* Efficit c. V.  
enim iustitia Christi, fide apprehensa, pa-  
cem cum Deo, c. V, 1. liberum apud Deum  
aditum, v. 2. & gloriationem seu professio-  
nem gaudii, ex sensu ingentis boni orti. Glo-  
riantur enim iustificati <sup>a)</sup> de spe gloriae, v.  
2. <sup>b)</sup> de afflictione, v. 3 - 10. <sup>c)</sup> de DEo e-  
iusque fruitione; cuius fundamentum est re-  
conciliatio per Iesum Christum facta, cuius  
amplitudinem & perfectionem Paulus com-  
monstrat instituta *comparatione inter Ada-*  
*mum primum*, reatus & mortis auctorem, &  
*Adamum secundum*, reconciliationis aucto-  
rem, quod argumentum 1) proponitur, ostend-  
sa partim *similitudine* oppositorum, dum v-  
terque aliquid in alios propagauit, Adamus  
reatum & mortem, Christus iustitiam & vi-  
tam, v. 12. 13. 14. partim *dissimilitudine*, vbi  
ostenditur excellentia boni per Christum parti-  
supra malum, ab Adamo introductum, v. 15.  
16. 17. 2) *vberius declaratur*, v. 18 - ad fin.

2) *Liberatio a macula & dominio pec-* c. VI.  
*catti*, vbi docetur, iustitiam fidei etiam pro-  
ducere iustitiam vitae, adeoque nullam pec-  
catis portam aperire, sed sanctitatis studium  
promouere, vbi I. *Exercitium sanctimoniae*  
*adseritur*, ita ut tum eius necessitas docear-  
tur, cuius fundamentum, in communione  
cum morte Christi positum, proponitur, v.  
I. 2. & confirmatur, v. 3 - II. tum eius *pra-*

xis suadeatur, vbi A. *abhortatio ad praxin sanctitatis* proponitur, v. 12. 13. Vnde non peccato, sed Deo; B. *geminò argumento*, a conditione tum peccati, tum fidelium ducto, *confirmatur*, v. 14. 15. Vtrumque argumentum pluribus deinde inculcat. *Primum*, quod desumptum erat a *conditione peccari*, quod fidelibus dominari non potest, vrget v. 16. lqq. ostendendo, a) fideles contrariam seruitutem subiisse, v. 16. 17. 18. b) in hac noua seruitute Christi ipsis manendum esse, v. 19 - fin. *Secundum* argumentum, quod desumptum erat a *conditiōne fidelium*, qui non sunt sub lege, sed sub gratia, (v. 14.) vrget c. VII. vbi 1) hanc *thesin*: non estis sub lege, sed sub gratia, probat, v. 1 - 6. docendo, a) statum Iudeorum sub lege esse terminabilem, v. 1. quod simili a statu uxoris sub marito illustratur, v. 2. 3. b) hunc statum respectu fidelium vere esse finitum, & successisse statum gratiae, velut nouum cum novo marito coniugium, vbi tum legitima abolitio prioris coniugii cum lege, v. 4. tum legitima successio noui coniugii cum Christo, v. 4. ostenditur: quod nouum coniugium vere contractum esse inde probatur, quia effectus pri- stini status sub lege cessauerunt, v. 5. & effectus noui status sub gratia successerunt, v. 6. *Thesi* ita probata 2) *occupat obiectiones*, hoc modo legem constitui causam peccari, (quod removet, v. 7 - 9. & causam mortis, (quod profligat v. 10-

v. 10 - 13.) atque ita satis se purgat, doctrinam suam non esse in legem iniuriam, ut Iudæi zelore cauillabantur. Postquam hoc modo adhortationem ad sanctitatis praxin (inde a c. VI, 12.) argumentis stabiliuit, iam porro C. remouet sanctitatis impedimenta, quæ retardare poterant instificatos, quo minus in hoc studio alacriter pergerent.

Remouet autem impedimentum *internum*, quod ex corruptione carnis originem trahit, c. VII, 14 - c. VIII, 17. deinde *externum*, quod ex variis afflictionibus oritur, c. VIII, 17-39.

i. *Internum* sanctitatis impedimentum, quod est *caro*, spiritui reluctans, ita propositur c. VII, 14. ut ostendatur <sup>N</sup>) *grauitas* huius impedimenti, vbi Paulus post indicatam eius *originem* (quæ erat natura suæ quamlibet regenitæ (†) conditio, legi spirituali, & omnis prauæ concupiscentiæ absentiam requirenti, disformis v. 14.) describit a) *difficillimæ luctæ processum*, idque per duos gradus v. 14. strictim indicatos. Conflictabatur enim (a) *cum carne*, seu *natura sua corruptione*, vbi primum opponit actiones suas & se ipsum, actionum imperfectionem improbantem, v. 15. deinde se ipsum,

(†) Vide, quæ ad *præfationem* LUTHERI in *hanc epistolam* de huius pericopæ subiecto notavimus, *scil. ii. §. XIV.*  
pag. 218. *seqq.*

ipsum, a carne dissentientem & cum pulchra  
lege consentientem, excusat, & culpam, a se  
remoram, transfert in peccatum inhærentis, v.  
16. 17. denique peccatum accusat, quod ipsi, ad  
perfectionem a lege requisitam tendenti, tor  
remoras obiiciat, v. 18. 19. 20. Conflictabatur  
porro (b) cum corruptionis illius inhærentis  
inevitabili necessitate, per primi parentis la  
plum introducta, ob quam se v. 14. venditum  
sub peccatum dixerat, quem gradum iuctæ  
primo proponit, v. 21. ubi dicit, se deprehen  
dere in se legem, sive principium aliquod  
cum affectata auctoritate iubens atque im  
pellens, quod bonum sine ulla imperfectione  
facere conanti obnatur, eique aliquid labis  
admisceat. Deinde hunc alterum pugnæ gra  
dum per partes declarat, indicando tam liber  
tatem sive voluntatis regenitæ, & lege spiritu  
ali delectantis, v. 22. tum contrariam legem  
seruitutis, decreto voluntatis corruptæ cum  
decretis voluntatis regenitæ velut præliante, &  
vincula menti intentante, v. 23. Post pugnæ  
processum expositum, eiusdem β) successum  
describit, ab una parte calamitosissimum, ob vi  
tii naturæ inhærentis tenacitatem, nullo per  
totam vitam tempore penitus expugnandam,  
v. 24. ab altera parte felicissimum, ob opem  
per Iesum Christum liberatorem latam, qua  
fiebat, ut mente seruiret legi Dei, hoc est,  
ut ex voluntatis regenitæ decreto omnes  
suos

suos motus omnesque actiones ad legis di-  
vinæ normam sponte componeret : quam-  
vis interim imperiosum naturæ instinctum,  
ad deteriora pronum , non prorsus excute-  
re poterat, sed illum cum dolore, tamquam  
crucem quotidianam, sentire cogebatur, v.  
25. 26. Pergit 2) *remedia solatia* aduer-  
sus carnis insultus exhibere , quæ a) propo-  
nit c. VIII, I, vbi docet , ob reliquias carnis. VIII.  
nullum *κατάνεμα* inhærente iustificatis, si  
modo dominio carnis se non submittant ;  
b) *confirmat*, partim in sua persona, v. 2. 3.  
4. partim in persona omnium fidelium, quos  
a condemnatione immunes esse probat, quia  
in ipsis deprehendatur tum *nota* huius pri-  
vilegii, tò ambulare secundum spiritum, v.  
5-8. tum *caussa* huius priuilegii, tò esse in  
Christo. v. 9. 10. II. 7) *applicat*, partim ex-  
hortando, v. 12. partim exhortationem argu-  
mentis roborando, vbi hinc ambulationem  
carnalem *dissuadet*, ab eius damno, scilicet  
morte, v. 13. illinc ambulationem spiritualem  
*suadet*, ab eius utilitatibus & commodis, quæ  
sunt vita , v. 13. filiatio Dei, v. 14. 15. 16. & æ-  
ternæ viræ hereditas , v. 17.

2. *Externum sanctitatis impedimentum*  
sunt varie *afflictiones*, in vitæ sanctæ exerci-  
tio ab hostibus externis tolerandæ. Hic  
docet , 1) quomodo iustificati *afflictiones*  
*tolerare* queant, vbi argumenta tolerantiae  
sumptuosa

du.

ducuntur  $\alpha$ ) a futura gloria, cuius tum magnitudo, c. VIII, 18. tum certitudo, v. 19-25. describitur, que probatur ex desiderio huius gloriæ, quod tum vniuersæ creaturæ, v. 19-22. tum filii Dei inest, v. 23-24. 25. quod desiderium Deus non implantasset, nisi obiectum illius reuera existeret;  $\beta$ ) ab auxilio Spiritus Sancti, v. 26. 27.  $\gamma$ ) ab ipsarum afflictionum utilitate. v. 28. 29. 30. Porro 2) ostendit, quomodo iustificati in ipsis afflictionibus gloriari & triumphare queant, vbi gloriatio generatim, v. 31. 32. & speciatim proponitur, v. 33-39. Sic igitur Paulus demonstrauit, iustitiam fidei esse perfectissimam, & ad peccatoris restitutionem sufficientissimam, quia & a reatu liberat, & maculam dominiumque peccati extinguit, & tum ab omni condemnatione, ob carnis reliquias metuenda, immune in præstat, tum in mediis afflictionibus animum tranquillum & lætum efficit. Vnde quid de potentia euangelii statuendum sit, haud obscurum esse potest.

c. IX. *IV. Impedimentum iustificationis in Iudeis*, ob præpostorum iustitiae legalis studium reiecit, sed aliquando rursus conuertendis: c. IX. X. XI. vbi

*I. Reiectio Iudeorum.* Hic, post præmissum exordium de sui in Iudeos affectus sinceritate, c. IX, 1-5. ostendit: per doctrinam de reiectione Iudeorum minime lädi deque

### §.XLVIII. ET ANALYSIS EPISTOLAE. III

neque  $\alpha$ ) veritatem Dei, qua promisit, se fore  
Deum Abrahā ac seminis ipsius. Vnde  
Iudæi argumentabantur: Si Israelite non sunt  
amplius populus Dei, sequitur, Deum non  
præstitisse, quæ ipsis promisit. Atqui blas-  
phemum & falsum est consequens. Ergo &  
antecedens. Paulus vero commonstrat diffe-  
rentiam inter Israeltas spurios & genuinos,  
quam proponit v. 6. & declarat a diuersitate  
filiorum tum Abrahā, v. 7. 8. 9. tum Isaaci,  
v. 10. - 13. In veris igitur Israeltis non exci-  
disse dicit verbum Dei, quamvis spurii Israe-  
litæ ex verbo Dei eiusque gratia exciderint.  
Neque  $\beta$ ) iustitiam Dei hac doctrina lædi con-  
tendit, vbi duæ obiectiones diluntur.

Obiect. I. *Hoc modo Deus est iniustus*, si  
Iudæos, tot meritis & operibus legis conspi-  
cuos, non amplius prò populo suo agnosce-  
re velit. v. 14. Paulus id negat, Deumque  
iustum esse afferit 1) in exercitio amoris gra-  
tuiti & varia beneficia temporalia atque ec-  
clesiastica dispensantis, id quod v. 15. verbis  
scripturæ proponit, ex Exod. XXXIII, 19. de-  
sumtis, vbi Deus tum populo Israelitico, tum  
Mosi singularem prorsus & extraordinariam  
gratiam exhibitus (dum populo immorige-  
ro ductum angeli increati ulterius concedebat,  
Mosen autem ad gloriam increati illius an-  
geli videndam proprius admittebat) monet,

VIRGIL.



vtrumque beneficium non ex debito, sed ex liberrima gratia in Mosen populumque Israeliticum conferri; ex quo dicto Paulus v. 16. hoc *confectarium* dedit, singularia Dei beneficia non impetrari studiis meritis que humanis, sed a sola Dei miserationis voluntate pendere. (†) Non minus vero Deum iustum esse afferit 2) in exercitio *ira* vel *seueritatis* aduersus contemtore gratiae, vbi rursus v. 17. producit testimonium scripturæ de Pharaone, quem Deus in grauissimis Aegypti plagis superstitem conseruauat, iamque saepius velut humi prostratum rursus crexerat, ut in ipso, tanquam profano homine & patientiæ diuino contemtore, potentiam suam iratam variisque armatam poenis ostenderet, quo omnes gentes agnoscerent, Deum Israelis Pharaone fuisse potentiorem. Hinc v. 18. rursus *confectarium* dedit, quo continentur vindiciæ libertatis diuinæ tum in *misericordia* extraordinaria, sine meritorum humanorum respectu dispensanda, (*miseretur*, cuius ipse vult) tum in *ira*, qua contemtum oblatæ gratiae Deus

(†) De abusu huius dicti: *Non est volentis vel currentis, sed misericordis Dei, conferatur spe-*

*NERI liber Rettung ge-  
mijnsbrauchter Sprüche  
heiliger Schrift. pag. 275.  
Jeqq.*

§. XVIII. ET ANALYSIS EPISTOLAE. 113

Deus vindicat, exercenda (*& duriter tractat, (†) quem vult.*)

Obiect. II. *Hoc modo homo est innocens.*

Si enim ex Dei voluntate, absolutoque quodam decreto reliximus, insontes sumus; v. 19. In refutatione obiectionis apostolus agit 1) contra ipsum *objicentem*, cuius insolentiam, ipso Deo insultantem, reprehendit, v. 20. 2) contra *objectionem*, ad quam respondet primum *indirecte*, ubi loquitur de iure Dei, quod nulli subiectum est vel examini, v. 20. vel reprehensioni; v. 21. deinde *directe*, ubi loquitur de facto Dei, ostendendo, quomodo se gerat tum erga *vasa iræ*, quæ se ipsa ad perniciem disposuerunt, a Deo autem multa longanimitate tolerantur, v. 22. tum erga *vasa misericordiae*, quæ ipse præparauit & ad gloriam destinauit, v. 23. e Iudeis & reliquis gentibus collecta. v. 24 - 30.

2. *Rejectionis causa*, quæ est mercenarium propriæ iustitiae studium, cum contu-

H ma-

---

(†) Ita enim verbum *οὐλαγύνεις* hoc loco commodissime reddi potest, ut docet 1) *oppositio verbi ιλεῖν*, benevolē ac misericorditer aliquem tractare, 2) *anrecedens* v. 17. ubi indurare est exercere potentiam iræ suæ in a-

liquo, coll. v. 22. 3) *exemplum Pharaonis*, qui, cum animum suum adversus omnes Dei admonitiones obfirmasset, a Deo duriter tractabatur. conf. verbum apud LXX. Job. XXXIX, 16. 2 Paral. X, 4.

macia erga viam gratiae & doctrinam de iustitia fidei coniunctum: vbi docet, a Iudeis peccatum fuisse tum in *omissione*, fastidiendo iustitiam fidei, v. 31 - fin. tum in *commissione*, se-

c. X. Etando iustitiam ex operibus legis, c. X, I - 3. quod vberius confirmat a) per *declarationem* iustitiae tum euangelicæ, v. 4. tum propriæ v. 5. b) per *amplificationem* ab effectu iustitiae euangelicæ, quæ est securitas conscientiae ex certitudine salutis, v. 6. 7. 8. Subiungit breuem delineationem doctrinæ & prædicationis euangelicæ, cuius proponit tum *summam*, dictis scripturæ confirmatam, v. 9 - 13. tum *necessitatem ac uniuersalitatem*, vbi probat, fidem per sufficientia media omnibus esse oblatam, v. 14 - 18. sed non ab omnibus acceptatam, quod illustrat indole contraria gentilium, iustitiam euangelii amplectentium, v. 19. 20. & Iudeorum, eam vna cum Christo ipso repudiantium. v. 21.

c. XI. 3. *Reiectionis terminus*, vbi adfirmat, Iudeos tandem per eandem fidei vitam veram iustitiam esse consecuturos. c. XI. Ostendit igitur, 1) ratione personarum reiectionem non esse *uniuersalem*, quod probatur ex suo exemplo, v. 1. tum ex numero Iudeorum satis magno ad Christum conuersorum, quamvis plurimis propria culpa perentibus, v. 2 - 10. 2) ratione temporis vel durationis illam reiectionem non fore *perpetuam*, vbi de futura gentis Iudaicæ con-

ver-

§. XVIII. ET ANALYSIS EPISTOLAE. 115

versione agit <sup>a)</sup> *probabilitē*, v. 11 - 24. cui tractationi v. 17. seqq. inimiscet dehortationem gentilium ab arrogantia & a securitate, nec non a contemtu Iudeorum reiectorum; <sup>b)</sup> *apodictice*, vbi Iudeorum conuersio adseritur, v. 25. 26. & probatur tum testimoniis prophetarum, v. 26. 27. tum argumentis. v. 28 - 32. Huic materiæ totique simul parti dogmaticæ imponitur *epilogus*, qui continet patheticam admirationem viarum ac perfectionum diuinarum, v. 33 - 36.

TRACTATIONIS pars PRACTICA vel PA- cap.  
RAENETICA: quæ complectitur institutionem XII.  
vitæ christianæ, c. XII - XV, 14. & quidem  
generalem, v. 1. 2. & specialem, quia certa  
iustificatorum officia inculcantur, obseruan-  
da

I. In ecclesia, vbi 1) *Præpositi* instruuntur partim de reeto vñu donorum, v. 3 - 5. partim de fide in diuersis functionibus, vbi habetur directio tum *functionum*, prophetæ & ministerii, v. 6. 7. tum *fungentium*. Prophetia autem funguntur doctores & exhortatores, v. 7. 8. Ministerio funguntur distribuentes, qui dispensant bona; regentes, qui dispensant consilia; auxiliantes, qui operam dispensant, v. 8. 2) *Omnes*, qui ad ecclesiam pertinent, monentur de officiis suis, obseruandis tum intra ecclesiam, v. 9 - 13. tum erga extraneos, ipsosque hostes. v. 14 - 21.

H. 2

II. In

cap. II. In *politia*, vbi ostenditur, quomo-  
xiii. do se homo christianus gerere debeat 1) Re-  
spectu *superiorum*, vbi præceptum generale  
proponitur, c. XIII, I. & confirmatur, argu-  
mentis ductis a) a Deo, supremæ potestatis  
auctore, v. 1. 2. b) a magistratibus eorumque  
officio, v. 3. 4. 2) a subdiris, v. 5. 6. cui v. 7.  
præceprum speciale subiungitur. 2) Respectu  
*æqualium*, vbi unicum officium, mutuus a-  
mor, proponitur & confirmatur, v. 8. 9. 10.  
3) Respectu *sui ipsius*, vbi præscribitur tum  
*modus officii*, positus in diligentia, quæ o-  
mnem moram & dilationem excludit, v. II. 12.  
tum officium ipsum. v. 12. 13. 14.

cap. III. In *oeconomia* & *priuata conuersa-  
XIV. tione*, maxime respectu infirmorum, vbi  
mandatum generale: infirmum in fide ad-  
sumite; c. XIV, I. cuius sequitur declaratio  
& explicatio, vbi 1) *Instructio firmorum* &  
*infirmorum*, ne se mutuo offendant ob dis-  
sensum ratione ciborum, v. 2. 3. 4. dierum,  
v. 5. & utriusque coniunctim. v. 6. 12. 2)  
*Dehortatio ad firmos directa*, ne infirmiori-  
bus scandalum præbeant, vbi præceptum,  
v. 13. 14. & rationes præcepti, ductæ a) ab  
officio proprio Christianorum, v. 15. b) a  
contrario facto Christi, v. 15. v) a dignita-  
te christianismi, v. 16. d) a conditione re-  
gni Dei, v. 17. 19. e) a dignitate eius, qui  
offenditur, v. 20. seqq. 3) *Repetitio huius insti-*

III

§. XVIII. ET ANALYSIS EPISTOLAE. 117

tutionis, vbi 1) Admonitio, c. XV, v. 2. 2) Con- cap.  
firmatio admonitionis, ab exemplo Christi, qui XV.  
non placuerit sibi, v. 3. 4. sed aliis, v. 5. 6. a-  
mico recipiendo tum Iudeos, v. 7. 8. tum  
gentes v. 9. 12. subiuncto voto v. 13.

qui b*AT* CONCLUSIO epistolæ c. XV, 14. ad fin.  
quæ ingens specimen est sapientiae Paulinæ.

Duo hic apostolus agit: <sup>sup oīlētā mōra</sup>

I. Ut semet ipsum Romanis reddat am-  
bilem, quod facit excusando suam ad Ro-  
manos scriptiōnem; quam excusationem 1)  
proponit, ostendendo, tum quales Romanos  
esse credat, v. 14. tum cur ad tales tali modo  
scripserit, vbi caussas scribendi exponit &  
ex parte Romanorum, v. 15. & ex parte Pau-  
li, qui munere suo apostolico impellebatur,  
v. 15. 16. 2) probat, commonstrando effectus  
muneris sui inter gentes, v. 17 - 21. 3) vin-  
dicat aduersus obiectionem, cur non dudum  
ipse ad Romanos venit, vbi exponit ad-  
ventus sui impedimentum antiquum, v. 22 -  
24. nouum, ex itinere Hierosolymitano, v.  
25. fin.

II. Ut suum erga Romanos amorem te- cap.  
fletur, cuius quinque specimina cap. XVI. XVI.  
exhibentur: 1) Commendatio Phoebes, v.  
1. 2. 2) Salutatio amicorum, qui Romæ  
decebant, v. 3 - 16. 3) Admonitio de ca-  
vendis feductoribus, v. 17 - 20. 4) Saluta-  
tiones ab amicis ad Romanos missæ, IN 21.

24. 5) Δοξολογία ad Deum, vbi & Deum describit & laudem ipsi adscribit v. 25 - ad fin.

Hic nexus, hoc filum est præstantissimæ epistolæ. Hæc generalis idea sapientissimi ordinis, qui in ea regnat. Ad specialiora enim descendere, & singula argumenta cultro quasi anatomico perrimari, ut interiora eorum pateant, non est huius loci vel instituti. Interim vel ex hac sciographia patet, vera dixisse MATTH. FLACIVM, in clave script. part. II. p. 508. Videlius, mirabilis artificio compactum & connexum esse sermonem Paulinum: ut in quo non tantum constructio grammatica membra eius inter se connectat ac conglutinet, sed etiam rerum ipsarum naturalis connexio ac societas, ex seculo enuicem pendens aut cohærens, existat.

## §.XIX.

Tantum rerum scitu dignissimarum adparatum Paulus sine pompa quidem eloquentiæ humanae, \* at verbis tamen a Spiritu Sancto edocetis & arguento, quod tractatur, conuenientissimis \*\* proponit. Stilo vtitur graui, \*\*\* masculo, per particulas, velut quedam orationis vincula, iudiciofis-

sime

sime concatenato, \* suisque ornamen-  
tis, vbi res ita postulat, nequaquam de-  
stituto, sanctissimis denique affectibus  
animato: de cuius obscuritate \*\* mi-  
nor futurus esset querelarum tumultus,  
si cum lingua Spiritus Sancti, quæ pec-  
ciliares suas voces & loquendi formu-  
las habet, \*\* maiorem a teneris famili-  
aritatem contraheremus.

\* Negat enim i Cor. I, 27. se *ἐν σοφίᾳ λόγῳ*  
euangelium Dei prædicasse, & c. II, 1. se ad Corin-  
thios venisse dicit *εἰς τὸν περιποχόν λόγῳ καὶ σοφίᾳ*.  
Recte tamen viri docti obseruarunt, eum his ver-  
bis a stilo suo tantum remouere humanæ ac fu-  
catæ eloquentiæ phaleras, comique sermonis  
flosculos, quibus Græcorum oratores sese efferre  
solebant. Vnde SAL. GLASSIUS, in *philol. sacr.*  
*lib. I. tract. IV. sect. 4.* Caruit quidem, inquit, am-  
bitiosa illa, fucata & ostentatrice loquacitate, in-  
star meretricis se superflue ornante ac iactante.  
Verum non caruit ista graui ac seria dicendi  
facultate, quæ res cælestes perspicue ac commo-  
de explicare potuit, quæque proprie apostolum  
Christi decuit. Placet ea de re iudicium AVGV-  
STINI, qui ipse olim artis rhetorice magister ex-  
stet, qui *de doctrina christiana lib. IV. c. 6. inter-*  
*alia multa, quæ huc pertinent, sicut, Inquir,*  
*apostolum eloquentia præcepta fecutum* /

H 4

dicimus, ita, quod eius sapientiam sequuta sit eloquentia, non negamus.

\*\* Egregie rursus AVGUSTINVS loc. cit. Audeo dicere, omnes, qui recte intelligunt, quod illi (scriptores sacri) loquuntur, simul intelligere, non eos alter loqui debuisse. -- Tales res dicuntur, ut verba, quibus dicuntur, non a dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subiuncta videantur. Addimus SIMONIS EPISCOPHI de oratione Pauli iudicium, operum tom. II. p. 593. In Paulo auditur oratio πολυπολιος & multisaria. Quum supercilios præcise pelliculae opposita est, (vt Rom. II. 17. 25. seqq.) toris, laceris, musculis, neruis plena est. Quum reducendis ad frugem christianis adhibetur, (vt Rom. XIV. XV.) non mollis, sed mascula ac simul blanda & comis. Quum in improbos fertur, (vt Rom. II. I. seqq.) zelo concitata ac cum fragore astuans. Quum pro gloria Christi, tota spiritus copia & torrente exuberans ac redundans fluit. Vbiique vero maiestate & phrasum varietate densa atque compacta.

\*\*\* Ipsis aduersariis testibus, qui 2 Cor. X, 10. epistolas Pauli esse βαρεῖαι & ιχυρᾶς dixerunt, quos perperam sensisse, apostolus haud arguit. Erant enim βαρεῖαι, si robur obiurgationum atque expostulationum grauissimarum attendis. Erant ιχυρᾶς, si δείνωσι & efficaciam sermonis perpendas, vt hæc verba ex GLASSIO interpretatur B. ADAMVS RECHENBERGIUS, in exercit. ad N. T. excere. I. de filio Pauli epistolico, p. 18. Hinc HIERONYMVS, Paulum, inquit, apostolum proseram, quem, quo-

quotiescumque lego, videor mihi non verba audire,  
sed tonitria, oper. tom. II. p. 73. H. ed. Francof.  
MDCLXXXIV. Addatur v. CL. IO. GVII. BERGERI diss.  
τὸ βαρὺ καὶ ιχνεύον Paulum. Bene etiam vir  
iudicissimus, STEPH. GAVSENVS, in *dissert. theo-*  
*logicis*, cum nostra præfatione hoc ipso anno Ha-  
læ recusis, p. 390. Pauli dictio est ἀποίντος, non  
impolita illa quidem penitus, incomita tamen, &  
nullis iniusta calamisiris: deinde magnum est in  
singulis vocibus pondus, incredibilis ἀνείσεσα: de-  
nique ea est in tota sententia breuitas, is rerum cu-  
mulus, ut γυμνωσινωτέρα illa αγχίστοια, & suba-  
ctum ingenium, quod in lectore Aristotelis Simplici-  
us requirit, præcipue in Pauli accurata lectione re-  
quiratur.

\* Sunt, qui ordinem in stilo Pauli desiderant. Sic  
ERASMVS ROTERODAMVS, in *argumento epistolæ Pauli*  
*ad Romanos*, quod paraphrasi huius epistolæ præ-  
fixit: Non alibi, inquit, sermonis ordo confusor, nus-  
quam oratio hyperbatis magis hiulca, nusquam anan-  
rapodotis crebrius inabsoluta, quod subinde queritur  
*interpretes Origenes*, in huiusmodi difficultatibus  
passim luctans ac laborans. Sed enim uero iniuriam  
hieri sanctissimo viro, fatebuntur omnes, qui filio  
ipsius familiarius adsueti sunt. Non is est profecto  
Paulus, in quem hæc accusatio cadere possit, si vel  
naturalem, qua prædictus erat, indolem considere-  
mus. Ex multis nimirum indiciis FRID. QVIRINVS  
GREGORIVS, in *diss. I. de temperamentis scriptorum*  
*N.T. §. XXI. sqq.* euicit, Paulum a natura tempera-  
men-

mentum cholericum accepisse, quod deinde per gratiam non destruetum, sed emendatum fuit, & ad eius conditionem in suggestis verborum concepcionibus Spiritus sanctus in *Geoporusuſias* negotio sese attemperauit, non secus ac ventus eius, quem in organo subit, canalis capacitati adcommoda-  
tur. Recte autem inde infert GREGORIVS §. XXIV. apostoli stilum ordinis & connexionis esse obseruan-  
tissimum. Pollent enim cholericici insigni iudican-  
di facultate, suasque ideas accurate inter se con-  
nectunt. Vnde membrum membro, argumentum ar-  
gumento in Pauli scriptis tam accurate respondet, ut  
eum, qui summum hic iudicium agnoscere nolit, ca-  
cum esse oporteat. Si vero vis ac nexus orationis  
non statim animo sese ingerat, defectui attentionis id  
adscribendum erit.

\* Multus est ERASMVS ROTERODAMVS, loco  
ante allegato, in obscuritate huius epistolæ exag-  
geranda, cuius tres cauſas recenset: 1) confusum  
sermonis ordinem, hyperbatis & anantapoditis  
hiulcum; 2) rerum inexplicabilium difficultatem,  
crebrioribus salebris impeditam; 3) frequentem  
ac subitam personarum mutationem. Addit  
HENR. HAMMONDV 4) Pauli in disputando meth-  
odum. *Quia*, inquit in præmonitione ad hanc  
epistolam, *Iudeorum obiectiones cum summatum*,  
*tum sigillatim notissimæ erant Paulo, eas non enu-  
merat distincte, nec unicuique suam aytat responſio-  
nem, sed paulo confusus & obscurius eas persequitur,  
atque ita, ut minimum orationis filum interrumpat.*

Ean.

MONKI

H

Eandem tibiamp inflat HUGO GROTIUS, inflant magno  
nisu pontificii, scripturas sacras omni accusationum  
genere onerantes. Sed recte, cocceio praecunte, 10.  
HENR. HEIDEGGERVS, in *enchoridio bibl. lib. III. c.*  
*VIII. §. 12.* Periculum, inquit, nullum est, ne Paulus  
non intelligatur ab iis, qui se spiritui sancto dociles  
præbent, & sermonis iustitiae non prouersus sunt impe-  
rati &c. Proin qui de stilo huius aliarumque episto-  
larum quiritantur, difficultatesque exaggerant, su-  
spectos se reddunt negligentia supinae, quodque parati  
sint pro verbis spiritus sancti sua, meliora scilicet ob-  
trudere. Adscribimus HERM. WITSI de reprehenso-  
ribus stili Paulini iudicium, ex *meletem. Leidens. p.*  
*221.* Evidem non sine indignatione delicatulorum  
quorundam interpretum miniatulas lego, nunc ratio-  
cinationes apostoli, nunc stylum & loquendi modos,  
temeraria præsumtione fugillantium, quasi intelligi  
& exponi non possit, nisi frequenter ei veniam mala  
connexarum argumentationum & incommodarum  
locutionum faciant. Ita qui instituunt, siue illi Graci  
siue Latini, siue veteres siue recentiores sint, eos ego  
non Paulo solum, sed & ipsi spiritui sancto, cuius du-  
ctu & argumentatus est & scripsit, conuitum dicere,  
nec veram eius mentem in iis, que criminantur, um-  
quam adsecutos esse, fidenter adseuero. Adde vindici-  
cias huius epistolæ aduersus ORIGENEM susceptas a  
SAL. TILLIO in *opere analytico, tom. II. p. 522.*

\*\*\* De his CHRISTIANVS CHEMNITIVS in com-  
ment. in ep. ad Rom. p. II. Phrasologia apud Pa-  
ulum nonnihil peculiaris est, & proinde sedulo obser-

81234

vanda est eius lingua. Occurrunt enim hic diligenter obseruande 1) voces, e.g. *Natura, Gratia, Fides, Opus, Iustificare, Imputare, Lex, Lex fidei, Vita, Mors, Spiritus, Litera, Caro, Homo interior, exterior, Promissio, Merces, Donum, Meritum, Concupiscentia, Corpus peccati, Electio, Induratio &c.* 2) Phrasēs, ut *Iustificari fidei, Imputare ad salutem, Operari iram, Viviere iustitia, Mori peccato, Christum induere, cum Christo crucifigi, sepeliri, resurgere &c.* 3) Sententiae, ut *Factores legis iustis abuntur, Lex auget peccatum, Lex iram operatur, Lex est spiritualis, cet.* Aliquam lucem præcipuis vocibus ac phrasibus, quibus Paulus in hac epistola vtitur, accendere studuit B. LUTHERVS in *præfatione*, MATTH. FLACIVS in *clave scripturae*, tum parte I. passim, tum part. II. tract. V. p. 508. seqq. HENR. HORCHIVS in *adparatus ad demonstrat. ep. Pauli ad Romanos*. Add. quæ de forensi verbi *dignitatis* significatione, quæ in hac epistola regnat, erudite differit ven. SALOMO DEYLINGIVS, *obseru. sacr. part. III. p. 457. seqq.* Iungatur etiam V. CL. TOR. EKHARDTI *technica sacra, sive de origine & usu verborum atque phrasium, quæ sensibus mysticis a spiritu sancto & ecclesia accomodata sunt.*

## §. XX.

*Linguam, qua in hac epistola conscribenda Paulus usus est, Græcum fuisse, illis*

illis temporibus cunctis fere gentibus cultioribus visitatam; sine ullis idoneis rationibus a pontificiis nonnullis, qui eum Latinis Latine scripsisse volunt, in dubium vocatur, \*

\* Ita e. c. ALPHONSVS SALMERON, e. S. I. in prolegomenis ad scripturam sacram, epistolam originaliter Latino sermone a Paulo scriptam, ac deinde in Graecum conuersam esse perhibet, 1) quia eam scriperit Latinis, 2) quia eius amanuensis fuerit Tertius, homo, ut nomen prodat, Latinus. Quibus sane argumentis nihil fingi infirmius potest; ut ipse CORNELIVS a LAPIDE agnoscat. ReEtius HVGO GROTIUS in prologo ad hanc epistolam: *Quari solet, cur Romanis scribens Paulus Grace potius scriperit, quam Latine. Credo ideo factum, quod Et ipse Et scriba eius, Tertius nomine, quamquam forte Latini sermonis non plane ignari; Graece tamen rectius promptiusque ille dictaret, hic scribebat, quam Latine; Et quod Graeca lingua Romanis omnibus, etiam feminis, ut ex Iuvenali discimus, in usu fuerit quotidiano, peregrinis vero, Romae morantibus, notior, quam Romana. Accedebat, quod haec epistola, quamquam Romanis proprie missa, ita omnia continebat religionis christiane munimenta, ut dignissima esset, cuius exempla etiam ad alias ecclesias mitterentur. Graeca autem, ut CICERO ait pro Archia, leguntur in omnibus sermonibus gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur.* Fieri tamen potuit, ut epistola

dein-

deinceps ab aliquo Græcæ ac Romanæ linguae patriter perito, ex lingua Græca originali in Latinam translata fuerit. Prorsus autem ridiculus est ROB. BELLARMINVS in appendice ad libros de summo pontifice, c. XIII. tom. I. operum, p. 523. qui rationem dictatur, quare Paulus ad Romanos scribens non usus sit lingua Romana, hanc adfert, *quia non fuerit epistolam a vulgo legi.* Enim uero ex antea dictis constat, linguam græcam illo tempore vulgi etiam Romani ore frequentatam fuisse.

## §. XXI.

Primum locum inter Pauli scripta hæc epistola ab antiquissimis inde temporibus obtinuit. Qui ordo vtrum a dignitate loci, ad quem data est, an ab argumenti dignitate pendeat, non satis constat.\*

\* Quatuordecim supersunt Pauli epistola. Quo se ordine illæ excipiant, non prorsus liquet. Quæ sit 10. PEARSONII, 1AC. VSSERII, & LVD. CAPELLI de hoc ordine sententia, ven. 10. GE. PRITIVS in tabulis exhibet in *introductione ad lectionem N. T. c. XVIII.* Nostram ea de re mentem explicimus in *institut. hermen.* p. 222. Putamus nimirum, eam ordine scriptio[n]is fuisse sextam, quæ ante se habeat ep. 1. & 2. ad Thessalonicenses, 1. ad Corinthios, ad Galatas, 2. ad Corinthios; quamque secutæ sint epistolæ ad Philippenses, Ephesios, Colossenses, Philemonem, ad Ebraeos, 1. ad Timotheum,

ad

ad Titum, & 2. ad Timotheum. Quum igitur epistola ad Romanos non prima, sed sexta sit, quæritur, quare primum inter eius literas locum occupet? Communiter pontifici id factum censem ob urbis & ecclesie Romane maiestatem, qua supra reliquas ecclesias omnes emineat. Ex nostris etiam SCHOMERVS, & alii, propter politicam urbis, ad cuius incolas data est, dignitatem primum ei locum adsignatum putant. Alii molis rationem habitam esse iudicant. Præcedunt enim, inquit, HEIDEGGERVS, epistole maiores & integris ecclesiis inscriptæ, sequuntur minores. Præcipuum tamen eius rei rationem in ipsius epistolæ dignitate atque præstantia quærendam esse existimat B. MAIVS, in examine historiæ criticae N. T. Rich. Simonii c. XV. p. 175. idque AVGVSTINI ac THEODORETI testimoniis confirmat. In primis, inquit, præcipuum christiane religionis caput de iustificatione tam prolixè tamque dilucide exponit, ut par ei nullus aliis Scripturæ liber esse queat. Forte etiam postrema commata actuum apostolicorum, quibus Romana Pauli negotia exponuntur, collectores epistolarum inuitauerunt, ut hanc ad Romanos epistolam aëtibus apostolicis subiiciendam esse decernerent. Addimus doctissimi SAL. TILLII conjecturam, ex opere analytico, tom. II. p. 518. Ratio dispositionis epistolarum hæc videtur, quod ecclesia Romana magno studio curauit sibi mitti codices, ab ecclesiis, quibus destinata erant epistole, repetendos. Quæ itaque prius accesserunt ad epistolam Romanam, pro-

xime iunctæ fuerunt. Hinc utraque ad Corinthios Romanæ adiungitur, quia Corinthus vicinior Romanis urbs erat & Romanorum colonia, & ita in reliquis. Hinc utraque ad Thessalonicenses, quamquam scriptæ ante omnes, nihilominus ultimum fere locum occupant, quando ad manus colligentium post reliquias peruererunt. Epistolæ autem ad priuatas personas, Timotheum, Titum, Philemonem, coniunctim subiiciuntur. Quod autem epistola ad Hebreos ultimo collocetur loco, id factum videtur, quia serius accessit, quippe ab Hebreis repetenda. Vnde etiam, antequam in eius fidem sufficienter inquire poterat, de eius auctoritate aliquamdiu dubitatum fuit.

## §. XXII.

Auctoritas huius epistolæ omni tempore maxima & sacrosancta in cœtu Christianorum fuit, paucis quamlibet hominibus male feriatis frustra interdum obgannientibus \* Est illa pars Scripturæ sacræ præstantissima, tum ob auctoris, qui sua omnia a Iesu Christo sine interprete accepit, excellentiam, \*\* tum ob argumenti dignitatem, \*\*\* tum ob exactissimam, qua se commendat, methodi anpiſſeav. \* Suæ vero diuinitatis \*\* radios ita legentium conscientiis ingerit, vt soli lampada

ac-

accendat, qui illam multis argumentis adstruere operose laboret.

\* Ita IRENÆVS aduersus hær. lib. I. cap. XXVI. & EPIPHANIVS hær. XXX. referunt horrendos horribilium reptilium, Cerinthianorum & Ebionorum, surros, quibus Paulinas epistolas reiecerint, quasi a nequissimo legis apostata profectas. Confirmat idem EVSEBIUS bish. eccl. lib. III. c. 27. ubi de Ebionitis: τας μὲν ἀποσόλως πάσας τὰς ἐπιστολὰς ἀρνητας οὐδὲν οἶναι δεῖν, ἀποσάτην ἀποναλεῦντες αὐτὸν τὴν νόμον. HIERONYMVS in Matth. XII. operum tom. IX. p. 29. Ebionites, quim ceteros recipiant apostolos, Paulum tamquam legi transgressorem repudiant. Marcionem, veterem hæreticum, ut alias Pauli epistolas, ita & eam ad Romanos, truncasse & mutilasse, traditur. EPIPHANIVS, hær. XLII. op. tom. I. p. 318. & 368. octa loca indicat vindicatque, Marcionis proteruiam experta, nimirum c. II, 12. 13. & v. 20. & v. 25. c. V, 6. c. VII, 12. c. VIII, 4. c. X, 4. c. XIII, 8. Quid ex his ipsis haereticorum tentaminibus pro auctoritate & antiquitate librorum N. T. concludi possit, egregie ostendit illustr. HVETIVS, in demonstrat. euangel. prop. I. §. XVIII. Ipsi vero pontificiis hanc epistolam sudem esse in oculis, multa exempla confirmant, IO. WOLFIUS lett. memorab. tom. II. cent. XVI. p. 623. (in marg.) testis est, episcopum quandam interrogasse suos: Scitisne, quid ego cum epistolis Pauli agerem, si solus eas haberem? & respondisse; sub rosa dictum sit, in ignem eas coniicerem. Ibidem narratur, IO. MONTILIVM

Romæ, pontificis iussu, exustum fuisse, quod Bononiæ S. Pauli epistolas publice docuerat & explana-  
verat. Iesuita aliquis PIETRO Hispanus persuasissime  
dicitur rectori nouitiorum Landsbergensem, ut  
sub flagelli poena interdixerit omnibus electione  
epistolæ Pauli ad Romanos. Illi enim, inquit,  
*ad quois scripsit, sunt dudum mortui.* Præterea non  
agit de legibus moralibus vel pontificiis & Romanae  
ecclesiæ traditionibus; sed tantum agit contra Iudeos, quos  
ceremoniarum & forensium legum operibus  
iustificari negat; ut refert IAC. WELLERVS in prolego-  
menis commentarii sui in hanc epistolam, p. 3.

\*\* Tanta est Pauli excellentia, ut nullæ eam lau-  
des æquare possint. CHRYSOSTOMVS octo homilia-  
eius laudibus decantandis impendit, in quibus o-  
mnem vim eloquentiæ suæ effudit se videtur. Voca-  
tur ab eo passim σάλπιγξ τῶν ἀρανῶν, tuba celo-  
rum: ὁ κοινὸς πατὴρ καὶ πέτρος τῶν δελῶν τῆς  
χριστᾶς, communis pater & progenitor seruorum  
Christi: ἀρανοπολίτης, ὁ ἐπίγειος ἄγγελος, ὁ  
ἀράνος αὐθεωπός, ciuis cali, terrestris angelus,  
caelstis homo: ἡ γλώττα τῆς οἰκουμένης, orbis ter-  
rarum lingua: ὁ νυμΦαγωγὸς τῆς χριστᾶς, paronym-  
phus Christi: ναὸς τῆς χριστᾶς, λύρα τῆς πνεύματος,  
templum Christi, lyra Spiritus. Plura aliorum etiam  
elogia collegit IO. CASPAR SVICERVUS, in thesauro eccl.  
tom. II. p. 649. HIERONYMVS epist. 61. ad Pammacbium  
eum appellat vas electionis, tubam euangelii, rugi-  
tum leonis nostri, tonitru genitum, flumen eloquentiæ  
christiane. Adde HERM. WITSIVM de Pauli dotibus  
disce-

differentem in meletem. Leidenibus p. 221 sqq. vbi inter alia: *Quod ad euangelii mysteria attinet, enim vero hic fuit velut aquila in nubibus. Neque meritis cuiusquam laudibus detractum iri existimo, si quis arbitretur, in omni prophetarum atque apostolorum choro paucos admodum rerum diuinarum scientia pares Paulo fuisse, superiorem fortasse neminem.*

\*\*\* De argumento huius epistole PHIL. MELANCHTHON in pref. ad enarrationem huius epistole, Hæc, inquit, epistola ostendit & illustrat maxime discriminem legis & euangelii, id est, promissionem, quæ de omnibus beneficiis filii Dei, de reconciliatione gratuita, & de restitutione iustitiae & vita aeternæ concionatur. Docet recte agnoscere Messiam, quem Pharisæi putabant occupaturum esse imperium mundi, velut Cyrus aut Alexander occupaverat, & partitum prouincias. Discernit iustitiam humanam ab ea iustitia, qua homo coram Deo iustus reputatur agnitione & fiducia filii Dei, & quæ sit templum Dei, & haeres aeternæ salutis. Docet, quæ sit vera Dei iuuocatio, quid peccatum, quæ prima cauſsa ingentium arumnarum generis humani, quæ vera consolatio. Deinde, qua sit vera ecclesia Dei, illane, qua superbit hoc titulo propter successiōnem ordinariam, an quæ custos est vera doctrina & templum filii Dei. Deinde, quid sit politicus ordo, & quod Deus sit custos politici ordinis, & quod divino vinculo conscientia politico ordini sint alligatae. Haec maximarum rerum doctrina, et si sparsa est per omnium prophetarum & apostolorum conciones, ta-

men in hac epistola a Paulo ut ab artifice exposita est  
 integræ, collatis membris, & quasi σωματονδεῖσα.  
 Addit, hanc epistolam lumen esse aliorum scripto-  
 rum propheticorum & apostolicorum, & methodi vice  
 esse posse ad alias lectiones illustrandas. Secutus est  
 ea in re Melanchthon vestigia præceptoris, MART.  
 LUTHERI, qui suam in hanc epistolam præfationem  
 his verbis orditur: *Quum epistola hæc Pauli ad Ro-*  
*manos unica totius Scripturæ sit methodus, & abso-*  
*lutissima epitome N. T. seu euangelii, dignam sane*  
*eam existimo, que non modo ab omnibus Christianis*  
*imbibatur a teneris, ediscaturque ad verbum, sed &*  
*quæ adsidua & perpetua meditatione ceu ruminata*  
*& concocta, haud aliter atque probe digestus cibus, in*  
*intima animi viscera traiiciatur. Est autem hac*  
*epistola tam diues spiritualium opum thesaurus, &*  
*ceu opulentissimum quoddam copia cornu, ut milles*  
*perlegenti semper occurrat nouum aliquid, adeo, ut*  
*hæc lectio omnium longe utilissima, quod in eruditio-*  
*ne rerum sacrarum, cognitione Christi, discenda na-*  
*tura fidei, omnium spiritualium affectuum vi co-*  
*gnoscenda, altius prouehat, subinde tibi inter manus*  
*crescat, semperque maior, iucundior, pretiosior, opu-*  
*lentior se ipsa, fiat.*

\* Vide §. XV. & ad eam norata.

\*\* Diuinam & canonicam huius epistolæ  
 auctoritatem confirmant tum *criteria insta*, ut sunt  
 indoles rerum tam sublimium tamque abstrusa-  
 rum, ut manifesto prodant Deum suæ originis  
 auctorem; porro singularitas stili, ex simplicitate  
 &

§.XXII. XXIII. INTERPRETES EPISTOLAE. 133

& maiestate temperati; exactissima cum reliquis  
V. ac N. T. scriptis canonicis conuenientia, & quæ  
alia adferri possent; tum suffragium externum  
veteris ecclesiæ (†), tum internum Spiritus sancti  
testimonium, qui inter legendum se in pectus  
sinceri lectoris insinuat, eundemque conuincit, ea,  
quæ ex suo adstatu scripta sunt, esse veritatem.

J. XXIII.

Hæc ipsa epistolæ dignitas effecit,  
ut plurimi ad eam explicandam, quam-  
vis non omnes fatis recte instructi, \*  
operas suas contulerint. Fuere, qui  
ad separatas pulcherrimi operis partes  
felicius intelligendas viam paraue-  
runt. \*\* Fuere, qui integrum episto-  
lam commentariis, modo breuiori-  
bus, modo vberioribus, illustraue-  
runt. \*\*\*

Quomodo instruetus esse quaque methodo  
viri debeat lector, & multo magis interpres huius  
epistolæ, exponit PHIL. MELANCHTHON, in praef.  
commentarii, his verbis: *Quum nos oporteat disci-  
pulos esse vocis diuinæ, quid agit fidelis lector, alii  
eam proponens? Monstrabit ordine membra, & in-  
bebbit singula quasi euoluta adspicere, & rursus con-  
cine contexere, & torum edificium mente contem-*

I.3

pla-

(†) Conf. V. Cl. GER- seriem seculorum N. T.  
HARDI VON MAASTRICHT ea collectus.  
non scripture, secundum

plari, & in verbis retinere natuam significationem, iuxta phrasim usitatam prophetis & apostolis: quumque iam cognoverit, quid Paulus dicat, (nam ab ipso disset, quid velit) non assinget peregrinas imaginationes, inuebitur mente uniuersum corpus doctrinae propheticae & apostolicae, in quo quum intelliget consensum esse perpetuum cum hac Pauli doctrina, nihil dubitabit, hanc esse sententiam Pauli, quam ipsius oratio & continua partium series gignit. Adseret etiam lector, mentem non profanam, non amantem sophistices, non surentem ambitione & odio, sed timentem Dei, amantem veritatis, querentem veras consolationes in conuersione, & volentem Deum recte inuocare, dolentem etiam propter ecclesia vulnera, que magis magisque lacerantur, sape etiam lectio ni miscentem gemitus, & petentem, ut a Deo doceatur. Talis si erit lector, ut dixi, reget eius mentem Deus & hac voce doctrinae & luce sua, ne deerret a vera sententia.

\*\* Ita posteriorem partem cap. I. ex instituto illustrauit CORNEL. ADAMI, in *exercit. exegeticis, exerc. V. p. 501. seqq.* Ad cap. III. 24. sqq. (†) rectius intelligendum faciunt, quae de mente Pauli in negotio iustificationis commentatus est HERMANN. WITIUS, *miscell. sacr. tom. II. p. 668. seqq. maxime p. 732.* & CAMPEG. VITRINGA, in *obseru. sacr. lib. IV. c. X. XI.* Caput IV. illustrat THEODORICVS HACKSPANIVS, in *sylloge dissert. philolog. theol. diff. X. IO. COCCEII considerando.*

(†) In Rom. III, 28. existant 5. disputationes Lu-

theri, tom. I. len. lat. pag. 538. (al. 502.)

sideratio cap. V. cum examine parhermeniarum Socini, inserta legitur *operibus* eius *avendōris*. Posteriori parti lux adsunditur in 10. CHRISTOPH. PFAFFII heptade dissertationum de *imputatione divina*; nec non in scripto anonymo solidissimo: *Paulinische Parification des ersten und andern Adams*, 1715. edito. At vero *cogitationes nouae de Primo & secundo Adamo*, (†) virus Socinismi continent. Caput VI. MOSES AMYRALDVS explicat, in *Exposition des chapitres VI. & VIII. de l' Epitre de St. Paul aux Romains*. Tota vero *sex priora epistola* capita SEB. SCHMIDIUS exposuit. Capitis VII. explicationi inseruit FRID. SPANHEMII *exercitatio in epistole ad Romanos caput VII. & IAC. ARMINII analysis*. De capite VIII. bene meritus est MOSES AMYRALDVS, SIMON EPISCOPIVS, *operum tom. I.* 10. GHESTREZAT, qui xxxii concionibus, Charentoni habitis; & FRANC. IVLIVS LVTKENS, qui lxxv concionibus illud explanauit. Speciatim pericopam v. 19-23. de gemitu creature singularibus dissertationibus MEISNERVS, DANHAVERVS, ITTIGIVS, BECHMANNVS, nec non FRID. ADOLPH LAMPIVS in *exercitato. ad Ps. XLV. p. 567. seqq. & ven. SAL. DEYLINGIVS, obseru. sacr. part. I. obs. LVII.* aliique, illustrare studuerunt. Ad cap. IX. conferri possunt 10. SCHROEDERI & TREVNERI analyses, nec non 10. WINCKLERI, PETRI WICHMANNI, & SAM. WALThERI

I 4

ex-

(†) Sunt illæ a SAM. CRELLO editæ, & a 10. SCHMIDIO, theologo Lipsiensi, in brevibus stricturis, item a B. SPENERO im Zeugniß von der ewigen Gotttheit Christi refutata.

explicationes, vernacula lingua vulgaræ: ex Arminianis IACOBVS ARMINIVS & PHIL. LIMBORCHIVS. In caput XII. IO. FISCHERVS iustum commentarium, sub tit. *ethica christiana*, reliquit. Ut nihil dicam de auctòribus, qui difficilliora tantum epistolæ commata scholiis illustrauerunt, vt præter auctores obseruationum & exercitationum sacramrum, fecere HVGO GROTIUS, ABRAH. CALOVIVS, tum in bibliis illustratis, tum in *theologia apostolica Romana*, LVD. DE DIEV in critica sacra, HENR. BENED. STARCKIVS, in *notis selectis ad ep. Pauli ad Hebreos & Romanos*. IAC. LAVENTIVS, cuius exstat *Paulus duorum*, cet. Ut tandem ruceam auctores, qui dissertationibus exegeticis varias huius epistolæ particulas declarauere, quorum indicem dabit IAC. FRID. WILDEHAVSEN, in *bibliotheca dissertationum in V. & N. T.*

\*\*\* Ex patribus græcis seculo III. ORIGENES, (cuius laborem pessima fide in latinum sermonem Rufinus vertit) sec. IV. CHRYSOSTOMVS, sec. V. THEODORETVS, sec. X. OECVMENIVS, sec. XI. THEOPHYLACTVS inter huius epistolæ interpretes referendi sunt. Inter patres latinos AVGUSTINVS ingens opus in hanc epistolam molitus est, quod tamen, eius mole deterritus, yix cœptum reliquit.

Inter nostræ ecclesiæ theologos (\*) PHIL. MELANCHTHON duplici commentario de hac epistola meritus est. Prior ipso inscio a Lutherò publicatus;

(\*) B. LVTHERTI prædicationes publicæ in episto-

Iam ad Romanos & Ebræos lucem non viderunt.

catus; posterior anno 1556. a Melanchthon editus est, in quo pura doctrina de iustificatione ad mentem Pauli (cuius discipulas nostras esse ecclesias dicit) egregie exponitur, IO. BRENTII commentarium, qui Brentii scripta exegistica aestimare didicit, non contemner. GE. MYLII commentarius 1595. editus ob vim iudicii, solidamque *ἀπόδειξην* laudatur. AEG. HVNNII & FRIDERICI BALDVINI commentarii sua se perspicuitate & soliditate commendant. IOAN. GERHARDI *adnotationes*, quamquam *posthumae*, non tamen spernendae sunt. IAC. WELLERVS in commentario 1654. edito, phrasin Paulinam ex græcis subinde auctoriibus illustrat, multaque polemica, ut plurimi veterum faciunt, immiscer. IO. GVIL. ZIEROLDI *analogia fidei per exegesin epistola ad Romanos breuiores demonstrata* Stargardiae 1701. lucem adspexit. Atque hifere præcipui erunt. (\*) Nihil enim nunc de Casp. Crucigero, Erasmo Sarcerio, Tilem. Herbusio, Io. Wigando, Dauide Rungio, Ioan. Winckelmanno, God. Cundisio, Abramo Battio, Mich. Ragero, Iusto Feuerbornio, Ioan. Himmelio, Augusto Varenio, Paulo Egardo; nihil etiam de Eilhardo Lubino, Ioan. Quistorpio, Ge. Calixto, Christiano Chemnitio, Ge. Weinrichio, Iusto Christoph. Schomero, Ge. Mich. Laurentio, qui omnes Pauli epistolas illustrarunt, & sua ceterum laude non defraudandi sunt, breuitatis cauſa dicemus. B. SPIELMANNUS.

I 5

NERI

(\*) Addi possunt B. BVD-  
DEI *conciones in hanc epi-* stolam, per rev. Brumhard-  
*tum luci expositæ.*

NERI paraphrasis germanica, sed latine etiam ab illustri Seckendorfio versa, nucleus exegeseos exhiber, quem lector etiam deprehendet in ven. IOACH. LANGII *paraphraſi vernacula in epistolam apost.* quæ nunc magno studio elaboratur. (\*) Catechetice hanc epistolam IOAN. CHRISTIAN. ENGELSCHALL & AMBROSIVS WIRTH enuclearunt. In publicis concionibus IO. WESENBECKVS, BALTH. BIEDENBACHIVS, IO. GVNTHERVS & alii eam explicuere.

Inter ecclesiæ reformatæ theologos, post Ioan. Oecolampadium, Petrum Martyrem, Wolfgang. Musculum, Andr. Hyperium, Christoph. Wittichium, aliosque, eminet IAC. ALTINGIVS, qui solidissimis concionibus exegetico-practicis hanc epistolam pertraetauit, quarum maximam partem in latinum sermonem transtulit & operum Altiniænorum tomo III. & IV. inseruit Balth. Becher. STEPHANI DE BRAIS, theologi Salmuriensis, *analysis paraphraſtica*, cum notis recusa est Lipsiæ 1707. Lingua Belgica exstant GERBRANDI VAN LEEWEN & SERVATII HAZEVOET expositiones. Ex eadem lingua in Germanicam transfusus est MARCI VAN PEENE, ecclesiæ Lugduno-Barauæ ministri, commentarius, in quo præcipua opera nexui epistole inuestigando impenditur. Lingua Anglicana IO. LOCKII & DAN. WHITBY paraphrases habentur. HENR. HAMMONDI in hanc epistolam scholia *Io. Clericus* in latinum sermonem conuertit. PHILIPPVS etiam LIMBORCHIVS hic diligentiam suam exercuit.

(\*\*) Prodiit sub titulo: *Rechte, 1729. fol.*  
*Apostolisches Licht, und Inter-*

Inter pontificios præter DOMINICVM A SOTO, IO.  
 FERVM, HIERON. OSORIVM, (quem Ciceronem Lu-  
 sitanum eruditæ appellant) ADAMVM CONZENIVM,  
 aliosque, maxime eminet IAC. SADOLETVS, epis-  
 copus Carpenteratensis, inter testes veritatis ex par-  
 te numerandus, cuius commentarius Lugduni  
 1535. in fol. stilo purissimo scriptus prodiit; &  
 FRANC. TOLETVS, qui in commentario, Venetiis  
 1603. edito, apostoli ratiocinationes acri indagine  
 rimatur & neicit. Neque labores CIVIL. ESTII &  
 CORN. A LAPIDE (cuius commentarii in epistolas  
 Paulinæ inter meliora viri scripta numerantur)  
 prorsus contempnendi sunt. Inter recentiores  
 BARTH. FIBVS in *via veritatis* &c. Colon. 1696. in  
 fol. edita comparet. Neque Sociniani, FAVSTVS  
 SOCINVS, IO. CRELLIVS, IONAS SCHLICHTINGIVS & SAM.  
 PRZIPCOVIVS hanc epistolam intactam illibatamque  
 reliquerunt. Plures, qui ad hanc epistolam ex-  
 plicandam animum adiecerunt, ordine enumerat  
 IO. CHRISTOPH. WENDLERVS, in *prodromo biblioth-  
 ea biblica*, Ienæ 1721. excuso, c. II. p. 59-88.

## §. XXIV.

Atque hæc fere erunt præcipua mo-  
 menta, quorum cognitio ad hanc epi-  
 stolam facilius intelligendam, maiori-  
 que cum fructu tractandam, non pa-  
 rum, ni fallimur, conferre potest. Ni-  
 hil nunc superest, quam ut singulis  
 theologiæ cultoribus hanc epistolam,  
 quam

quam aliquis perfectissimum dixit specimen eorum, quæ diuinus apostolus audiuit, raptus in paradisum, omni studio commendemus. Agite igitur, sacris literis initiati, conferte vos ad hunc cælestis sapientiæ oceanum, atque ex illo sacrosancta christianæ doctrinæ mysteria, ex illo ἀπόδεξιν πνεύματος, ex illo genuinum παιδείας τρόπον audi haurite. Legite, relegate diuinum opusculum, in succum illud & spiritum, quantum quantum est, conuertite, miscete meditationi preces, precibus meditationem, nihil denique intentatum relinquite, vt in hunc τύπον διδαχῆς totus vester animus, totus conceptuum theologicorum adparatus tradatur. Tum enim demum aliquam spem de vestro in sacra scientia profectu concipere poteritis, si hæc vobis epistola valde placeat. Gratia autem Iesu Christi sit nobiscum omnibus,

Amen.



BEATI

BEATI VIRI  
**D. MARTINI LVTHERI**  
PRAEFATIO  
IN  
EPISTOLAM PAVLI  
AD  
ROMANOS,

SELECTISSIMIS LVTHERI, MELANCHTHO-  
NIS, ALIORVMQVE LOCIS PARALLELIS;  
NEC NON OBSERVATIONIBVS EXEG-  
TICIS ATQVE APOLOGETICIS  
ILLVSTRATA

PER  
**IO. IACOB. RAMBACHIVM.**



MARTINI LUTHERI  
PRAELETTIO

HISTORIAM LAVIN

ROMAENS.

SCITICHEARIIS LUTHERI MELANCHTHONI  
MEZ VORWURFEN TO DER FABRICATIONE  
MEC NON DOPPERKALUNDNERA EKKE  
HIC ALDVAER APOLOGETICIS  
HIC TRASCRIPTA VERA  
HIC IN EGO RUMBAUCHIVM



Benevolē Lector,

**A**ccipe, quam in præfatione introductionis nostræ promisimus, B. MARTINI LUTHERI præfationem in epistolam ad Romanos, anno MDXXII. vernacula lingua ab ipso conscriptam, & anno sequenti, ipso conscio, a IVSTO IONA in latinum sermonem nitido stilo translatam. Quantum studii operæque in ea illustranda posuerimus, si vel obiter eam inspexeris, facile cognosces. Vix tamen credimus, æquos rerum spiritualium iudices hanc operam nostram tanquam inutilem atque superuacaneam esse damnatorios. Quamuis enim tam perspicua ple-

specchio

PRAEFATIO.

pleraque Lutheri cogitata sint, ut  
commentario nullo indigeant; si ea  
exceperis, quæ ad caput nonum ad-  
notauit, quippe quæ commodam  
explicationem præ reliquis requirere  
videntur: non tamen infructuosum  
erit, illustres illas veritates, quas hac  
præfatione vir ~~Theodidant~~ complexus  
est, ex aliis ipsius scriptis erutas ac plu-  
ribus verbis declaratas legere. Pruden-  
ter autem fecerit lector, qui Lutheri  
præfationem nondum cognitam  
habet, si prima lectione ipsa præfati-  
onis verba, præteritis interim nostris  
adnotationibus, vna serie perlustra-  
verit, interiectis precibus ac suspiriis, in-  
stirutaque seria sui ipsius exploratione,  
an ea quæ Lutherus de præclara fidei in-  
dole, de impulsu spiritus sancti, de lucta  
carnis & spiritus &c. passim tradit, ipse  
vnquam expertus sit? Sic enim iterata  
lectione nostras etiam adnotationes ipsi  
profaturas esse non dubitamus. Vale,  
beneuole lector, & nostri laboris  
fructu vberrimo fruere.

SECTIO.





## SECTIO I.

QVA POTIORA EPISTOLAE VOCABVL A EXPLA-  
NANTVR.

### *Synopsis.*

Vera intelligentia huius  
epistolæ præstantissi-  
mæ pender a recta  
intelligentia vocabu-  
lorum, quibus Pau-  
lus vñtur, §. I. II. III.  
vnde a Lutheru ex-  
plicatur, quid ex  
Pauli mente sit lex,  
§. IV - VIII. quidque  
sit facere opus legis

§. IX. & legem imple-  
re, §. X. XI. quid  
porro sit peccatum, §.  
XII. XIII. XIV. quid  
gratia & donum, §.  
XV. XVI. quid fides,  
§. XVII - XX. quid  
vera iustitia, §. XXI.  
XXII. quid caro & spi-  
ritus, §. XXIII. XXIV.  
XXV.

§. I.

Præstantissima Pauli ad Romanos epistola diligen-  
tissime tractanda est.

**C**Vm epistola hæc Pauli ad Roma-  
nos, vnica totius scripturæ sit  
methodus, & absolutissima epi-  
K tome

tome noui testamenti seu euangelii, quod ipsa certe vel sola, breuiter & purissime tradit: dignam sane existimo, quæ non modo ab omnibus Christianis imbibatur a teneris, ediscaturque ad verbum, sed & quæ assidua & perpetua meditatione, ceu ruminata & concocta, haud aliter atque probe digestus cibus \* in intima animi viscera traiicitur. Tam diues autem hæc epistola est spiritualium opum thesaurus, & ceu opulentissimum quoddam copiæ cornu, vt millies perlegenti semper occurrat nouum aliquid: adeo vt hæc lectio longe omnium vtilissima, quod in eruditione rerum sacrarum, cognitione Christi, discenda natura fidei, omnium spiritualium affectuum vi cognoscenda altius prouehat, subinde tibi inter manus crescat, semperque maior, iucundior, pretiosior, opulentior seipsa fiat.

\* Conf. Ier. XV, 16. vbi propheta ait: Si mul ac inuenta a me sunt verba tua, statim comedи ea, velut sapidissimum cibum, quo quis melle dulciorem: Et facta sunt verba tua mibi in gaudium & latitiam cordis. Sic verbum Dei etiam cibo comparatur, Psal. XIX, II. & CXIX, 103. Amos VIII, II. Ebr. V, 14. ceterum.

§. II.

## §. II.

Vnde via ad eam facilius intelligendam hac præfatione sternitur.

Proinde videbar mihi operæ pretium facturus, si meam quoque qualēcunque operam (pro modo doni, quod accepi a Deo) in eam conferrem, & hac breui præfatiūcula, quo in posterum inoffensus & planius posset legi ac cognosci, viam in eam sternerem. Præsertim, cum scirem, eam, quam solam elenchon & vnicam methodum esse oportuit, sic ineptis quorundam commentariis & variis argutiis obscuratam, ut eius scopum, \* qui tamen simplicissimus est, itidem a multis seculis pauci scriptores viderint.

\* Vide de *scopo epistolæ introduct.* nostram,  
§. XVI. p. 87.

## §. III.

Ante omnia, ut vocabula Paulina recte intelligantur, opera danda est.

Primum natura vocabulorum & tropi Apostoli nobis diligenter scrutandi & cognoscendi sunt. Ante

K 2

omnia

omnia, quid sibi Paulus his & id genus vocabulis velit: Lex, Peccatum, Gratia, Fides, Iustitia, Caro, Spiritus. Alias, quantumuis legas diligenter, operam omnem luseris.\*

\* Lib. symb. p. 60. *Aduersarii*, quum neque quid remissio peccatorum, neque quid fides, neque quid gratia, neque quid iustitia sit, intelligent, omisere contaminant hunc locum, & obscurant gloriam & beneficia Christi, & eripiunt piis conscientiis propositas in Christo consolationes. Conf. PHIL. MELANCHTHON in comment. ad hanc epist. Witterbergae 1557. in 8. edito, p. II. Nos sermonem Pauli sequimur incorruptum, agnoscimus nos discipulos diuinæ vocis esse debere, ac τὸ πντὸν dextre & pie retinere, non adserre ad Paulum diabolos in philosophia natam, que pugnat cum Paulo & seriem disputationis eius corrumpit.

## §. IV.

Vocabulum Legis quomodo accipiendum fit?

Vocabulum Legis \* hic non est accipiendum iuxta morem philosophorum aut rationis, vt sit doctrina præcipiens quid faciendum omittendum ve sit. Humanæ enim leges implentur externis operibus, etiamsi inuito corde fiant. Deus vero cum sit καρδιο-

γνωσης,

*γνώσης*, iudicat secundum internos motus cordis. \*\* Proinde & lex Dei requirit cor & affectus, neque impletur externis operibus, nisi hilari corde & toto affectu fiant, adeo ut nihil tam vehementer arguat, atque opera illa speciosa & simulata, id est, hypocrisie, mendacium & dolum illum cordis. Hinc propheta Psal. CXVI, ii. dicit, *omnis homo mendax*. Quare & natura non potest implere legem. Omnes enim homines natura propensi sunt ad malum, oderuntque legem. Vbicunque autem non est hilaris & propensa voluntas erga Deum & legem, ibi est peccatum, & ira Dei, quantumuis operum extenorum per tales hypocrisie facias.

\* PHIL. MELANCHTHON in comment. ad hanc epist. p. 16. Lex Dei est doctrina consentiens cum eterna & immota norma mentis divinae, praeципiens, *QUALES NOS ESSE* & quæ facere atque omittere oporteat, & damnans omnes, qui non praefstant integrum obedientiam voluntati Dei. Adde p. 116. it. Libr. symb. p. 713, fin. edit. Rechenbergii.

\*\* PHIL. MELANCHTHON, ibid. Humano iudicio existimat sicut factum esse legi divinae, quando exteriora obedientia prestatur. Sed iudicium

Dei & legis diuina aliud est, videlicet ut ordo non  
solum in externis factis, sed in tota hominis na-  
tura congruat cum mente & voluntate diuina.

§. V.

Huic legi non potest externis operibus  
satisfieri.

Ex his nunc infert Paulus Cap. II.  
Omnes Iudeos, quantumuis externis  
operibus simulent legem, peccatores  
& legis prævaricatores esse. Non enim  
auditores legis, inquit, iusti sunt apud De-  
um, sed factores legis \* iusti habebuntur.  
Quo vult, neminem operibus externis  
posse implere legem. Dicit enim ad  
eos: tu dicis, non adulterandum, & adul-  
terium committas. Hoc ipso quod iudicas  
alterum, te ipsum condemnas: eadem enim  
facis tu, quæ iudicas. Ac si dicat: Tu qui-  
dem speciosa quadam hypocrisi in ex-  
ternis operibus legis \*\* ambulas, & ali-  
os iudicas, qui non sic ambulant. Ali-  
os quidem doces, & vides festucam in  
oculo proximi: trabem autem in oculo  
tuo non vides.

\* LVTHERVS tom. IV. Ien. lat. f. 82. a. edit. ann.  
1583. Si proprie ac diserte definias, quid sit fa-  
cere legem, nihil aliud est, quam credere in le-  
sum Christum, & accepto per fidem in Christum  
Spiri-

Spiritu Sancto, operari ea, quæ sunt in lege. Itaque neminem in toto mundo dabis, cui hic titulus *Factor legis* conueniat, extra promissionem euangelii. Ita ut verus legis factor sit, qui accepto Spiritu Sancto, per fidem Christi, incipit diligere Deum, & benefacere proximo. Ut facere includat simul fidem, quæ facit arborem; qua facta, sunt fructus. Oportet primum esse arborem, postea fructus. Poma enim non faciunt arborem, sed arbor poma facit. Sic fides primum personam facit, quæ postea facit opera. Itaque facere legem absque fide, est facere poma sine arbore, ex ligno & luto, quod non est facere poma, sed mera phantasmata. Contra, posita arbore, hoc est, persona seu factore, qui fit per fidem in Christum, sequuntur opera. Oportet enim factorem esse ante facta, non facta ante factorem, cert.

\*\* Eleganter LUTHERVS in priori comm. in ep. ad Gal. c. II, 16. tom. I. Ienens. Lat. edit. ann. 1564. f. 385. b. quatuor ordines operum constituit. *Opera peccati*, quæ dominante concupiscentia sunt. *Opera legis*, quæ foris coercita concupiscentia sunt, tamen intus eo magis feruente & legem odiente, id est, quæ sunt bona in specie, mala in corde. *Opera gratiae*, quæ repugnante concupiscentia, victore tamen spiritu gratiæ, sunt. *Opera pacis*, & perfectæ sanitatis, quæ extincta concupiscentia, plenissima facilitate & suavitate sunt, quod in futura vita erit, hic incipi-

tur. De operibus legis ita ibi pluribus differit: *Opera legis vere legis sunt, non nostra, quoniam non sicut voluntate nostra operante, sed lege per mina et extorquente, vel per promissa elicente.* Quod autem nostra voluntate libere non sit, sed alio exigente, iam non nostrum, sed exactoris potius opus est. Eius enim sunt opera, quo imperante sunt. Sed sunt imperante lege, non iubente voluntate. Quod satis patet, si cui liberum est sine lege vivere, nunquam sua sponte faceret opera legis.

## §. VI.

*Quia animus hominis legem odio habet & auersatur.*

Quanquam enim metu poenae aut amore tui, legem externis operibus simules: tamen haec omnia, animo invito, corde difficulti, absque amore & affectu erga legem & Deum facis, mallesque legem & legislatorem non esse, tuasque cupiditates sic non coiceri. Proinde licet factis simules legem, re ipsa tamen legem odis & auersaris. Sic loquitur Apostolus: Quid est, inquit, tua iustitia, si alios docens non furari, re ipsa in corde ad furtum adspiras, affectu haud dubie in opus erupturo, nisi poenam metueres? Nam, ut plerumque, externum opus, etiamsi aliquando

do dissimuletur, tandem erumpere & se-  
qui solet in eiuscmodi *hypocritis*.\* Qua-  
re ut dicit, qui alium doces, te ipsum  
non doces, hoc est, ipsemet ignoras,  
quid doces, quandoquidem quid lex si-  
bi velit & quomodo non nisi affectu  
impleatur, ipsemet non satis tenes.

\* LUTHERVS, tom. I. Ien. lat. f. 505, b. Neces-  
se est, vel intellecta lege desperare, ignorata gra-  
tia Dei; vel non intellecta lege, de se ipso præ-  
sumere, contemta ira Dei. Illa facit desperabun-  
dum David, qui dicit: *Peccavi, abiectus sum a  
facie oculorum tuorum*. Ista facit securum *hypo-*  
*critam* & superbum Phariseum, qui dicit: *Non  
sum sicut ceteri hominum iniusti* &c. Hic venit  
medius Christus, dicens: Nec tibi damnatio, nec  
tibi (o Pharisee) salus, sed mihi soli gloria.  
Tu non morieris, David, quia transtuli pecca-  
tum tuum in me. Nec tu, Pharisee, viues, quia  
iustitia tua est sine me.

## §. VII.

*Quia multa corruptæ naturæ repugnantia  
exigit.*

Tantum autem abest, vt lex ex-  
ternis operibus impleatur aut iustificet,  
vt etiam peccatum augeat, \* quemad-  
modum dicit cap. V, 20. Quare quo  
penitus legem intelligis, eo minus

K5

amas

amas legem, quod adeo multa tuis affectibus, hoc est, naturæ pugnantia exigit & postulet.

\* LUTHERVS tom. I. Ien. lat. p. 505. a. Vis & potentia legis est occidere, seu peccatum æternæ morte damnandum ostendere. Vbi vero cœperit homo, argente spiritu, hanc vim sentire & intelligere, mox desperat de Dei misericordia. Desperatio autem de misericordia Dei est summum peccatum. Ista sunt summa illa opera, quæ homo secundum legem Dei moralem facit. Hoc est, quod dicit Paulus, *per legem fieri peccatum supra modum peccans*. Et, *per legem peccatum me occidit, & lex iram operatur*. Nunquam peccat homo horribilis, quam in eo articulo, quo incipit legem sentire seu intelligere. Ibid. p. 531. a. Ratio vere legem sentiens, vel intelligere incipiens, fugit Deum & ruit in desperationem. Nihilo tamen minus legis administratio, comminatio, increpatio est necessaria, ut peccatum agnoscarur.

### §. VIII.

*Est enim lex spiritualis.*

Proinde dicit cap. VII, 14. *Lex spiritualis est.* Ac si dicat: si lex esset carnalis, aut moralis doctrina tantum operibus externis impleretur. Nam cum spiritualis sit, id est, requirens affectum & spiritum\*: tum nemo implet

plet eam, nisi hilari corde & ardore quodam mentis & toto affectu, ea quæ lex mandat, faciat. Tale vero cor novum, & ardentem ac hilarem affectum cordis, non ex tuis ullis viribus aut meritis, sed sola operatione & afflatu spiritus consequere. Hic enim solus cor nouat, & hominem spiritualem facit, ut sic spiritualis amet legem spiritualem, iamque non ex metu aut amore commodi, sed hilari aut voluntario corde impleat, & quodam impetu ferratur ad liberaliter & sponte facienda ea, quæ sunt legis. Sic intelligendum est, lex est spiritualis, id est, lex non impletur nisi spiritu & corde per spiritum nouato. Vbi ergo ille spiritus & renouatio cordis per spiritum non est: ibi manet illa molestia & odium illud legis (quæ per se iusta, sancta est & bona) tantum abest, ut lex impleteatur. \*\*

\* PHIL. MELANCHTHON, in *comment.* pag. 140.  
Lex diuina est spiritualis, id est, non tantum est politica sapientia, vel disciplina, frenans facultatem locomotiuam, sicut leges in imperiis ciuibus. Nequaquam existiment homines, se legi Dei satisfacere, etiamsi habent externam disciplinam

nam inculpatam. Sed lex diuina est sapientia in Deo, & norma iustitiae nobis patefacta, qua vult Deus, ut corda nostra viuant spiritu, id est, ut habeant lucem & motus spirituales, congruentes cum Deo, firmam assensionem, & ardente amorem erga Deum.

\*\* LVTHERVS tom. II. Ien. lat. f. 210 b. edit. 1600.

In hac vita lex operibus & laboribus non impletur, sed desperando de operibus & laboribus. Non enim delestante potest lex ante sui impletionem, sed post impletionem. Quum autem operarii id agant operibus suis stulti, ut eam impleant, & nunquam de se desperent, necessario fatigantur & laborant frustra. Donec enim apud se inueniant, quod exactrici legi persoluant; operari, & per hoc inquieti esse & legem odiisse non cessant. Ita lex eos exhaustit & fatigat, donec consumat eos in æternum. Qui autem impotentiam suam experti, & insuperabilem legis exactiōem confessi, de se desperant, & ad Christum vnicum legis impletorem configiunt, audientes & credentes in eum, ut qui finis est legis ad iustitiam omni credenti; Quisquis talis est, hic ante omnia opera sua, & sine ulla lege, gratis hac fide sua accipit spiritum sanctum, qui non operibus, sed suæ virtutis gratia sola accedit nouam & dulcem concupiscentiam charitatis, & odiisse facit concupiscentiam lege prohibitam. Quo facto voluntas iam in aliam mutata, intuetur legem Dei, videtque eam id ipsum præcipere & prohibere, quod ipsa,

spiri-

spiritu succensa, & cupit & amat. Ita sit, ut legem sibi per omnia, ad votum respondentem, non possit non amare & laudare.

## §. IX.

*Quid sit, facere opus legis.*

Affuesce igitur phrasí huic & characteri Apostoli. Longe enim aliud est, *facere opus legis, & legem implere.* Namque *opus legis\** est, quando sine gratia, sine spiritu bene incipimus operari, & conamur legem implere ex viribus nostris, seu liberi arbitrii. Nam cum ibi semper maneat seruilis quidam metus & acerbissimum odium legis: tum talia opera haud dubie peccata \*\* sunt & flagitia contra legem, & Deo non placent. Sic loquitur Apostolus cap. III, 20. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius.* Hic ergo licet agnoscere, quam sophistæ & scholastici doctores toto cœlo errarint, quam impia & blasphema docuerint, quando asseruerunt, operibus posse nos præparare ad gratiam. \*\*\* Qui enim præparem me ad gratiam opere, quod corde facio difficulti & affectu repugnante? Quinam gratum sit opus hoc

hoc Deo, quod non sponte, sed cum magna molestia cordis, magnoque legis odio facio?

\* Singularis exstet disputatio LVTHERI de operibus legis & gratiae, tom. I. Ien. lat. f. 508. Vbi, opera legis, inquit, sunt, quae extra fidem fiunt, voluntate humana. Quam voluntatem lex vel cogit minis & poenis, vel allicit promissis & beneficiis. Nunquam tamen est vera & recta ea voluntas, sed semper querens, quae sua sunt: ideo & in ipsis heroicis virtutibus hoc virtus depravata est. Multo minus valet illa quidquam in religione, seu iustificatione coram Deo, & tamen necessaria est ad custodiendam externam disciplinam & pacem. Adde libr. symb. p. 721.

\*\* Concil. Trid. p. 67. Si quis dixerit, opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sunt, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema sit. Ad quem canonem haec adscriptus venit. PAVLVS ANTONIVS: Si spiritualiter iudicare voluerint spiritualiter dicta, non fuerant scripturi anathema innocentibus. Adde que de operibus infidelium disputat MART. CHEMNITIVS, in exam. C. Tr. p. 107. ed. Genev. 1641.

\*\*\* Hæc ipsa impia doctrina non nihil incrucifera, in concil. Trid sub anathematis poena ad credendum proposita est, sess. VI. de iustif. can. 40 p. 65. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo

a Deo (quod dicis gratia, & ad suum faciendum, addunt) motum & excitatum, nihil cooperari afferiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, anathema sit. Vide quæ ad illum locum vener. ANTONIUS obseruauit, & adde MART. CHEMNITII examen C. Trid. p. 113. seqq.

## §. X.

*Quid sit, implere legem.*

Legem autem *implere*, est facere ea, quæ lex mandat, corde hilari & erecto & alacri, id est, sponte & vltro Deo vivere & bene operari, *etiam si nulla esset lex.*\* Talis vero alacritas, hilaritas & propensatio voluntas ac ardens affectus, non contingit cordibus, nisi per Spiritum \*\* viuificatorem, & viuum eius impulsu ac agitationem in corde, sicut cap. V. dicit. Spiritus vero donatur per solam fidem in Iesum Christum, quemadmodum initio dixit Apostolus: Fides est per auditum euangelii seu verbi Dei, per quod prædicatur Christus pro nobis mortuus, sepultus & suscitatus a mortuis, ut cap. III. IV. & X. dicit. Tota igitur iustificatio ex Deo est, fides & spiritus ex Deo sunt, & non ex nobis.

\* LV.

\* LVTHERVS tom. I. Ien. lat. f. 52r. a. *Sine lege*  
 vbique in Paulo intelligi debet, vt Augustinus re-  
 gte exponit, *sine lege adiuuante*. Nihil enim iu-  
 rat lex ad impletionem sui, sed requirit impleto-  
 nem sui. - Sola vero fides in Christo iustificat,  
 sola implet legem, sola facit opera bona, *sine lege*.  
 Sola enim accipit remissionem peccatorum, &  
 sponte facit opera bona per charitatem. Verum  
 est, post iustificationem sponte sequi bona opera,  
*sine lege*, scilicet iuuante, nec iam extorquente.

\*\* LVTHERVS tom. IV. Ien. lat. f. 82. a. Opor-  
 tet nos primum accipere spiritum sanctum, quo il-  
 luminati & renouati incipimus facere legem, h. e.  
 diligere Deum & proximum. Spiritus sanctus  
 autem non per legem accipitur (nam qui *sub lege*  
*sunt*, ait Paulus, *sub maledicto sunt*) sed per  
 auditum fidei, h. e. per promissionem. Ideo  
 primum omnium audienda est promissio, quæ  
 Christum proponit, eumque credentibus offert,  
 quo fide apprehenso, donatur spiritus sanctus  
 propter ipsum. Ibi tum diligitur Deus & pro-  
 ximus, bona opera fiunt, fertur crux. Hoc ve-  
 re est legem facere; alioqui lex manet perpetuo  
 infecta.

¶. XI. *Sola fides legem implet.*

Hinc & sola fides iustificat, solaque  
 legem implet.\* Fides enim per meri-  
 tū Christi impetrat Spiritum San-  
 ctum.

etum. Hic spiritus cor nouat, exhilarat, excitat & inflammat, ut sponte faciat ea, quæ vult lex. Ac tum demum ex fide, sic in corde efficaciter agente & viuente, sponte fluunt opera vere bona. Hoc vult cap. III, 28. 31. Nam cum ibi damnasset prorsus opera legis, & potuissest videri legem per fidei doctrinam destructurus & aboliturus: per occupationem occurrit. *Legem inquit, non destruimus, sed stabilimus*, id est, docemus, quomodo lex credendo, seu per fidem, vere impleatur.\*\*

\* LUTHERVS tom. I. Ien. lat. f. 46r. Quemadmodum sola fides iustificat, ita quoque sola fides præcepta Dei implet. Aequie enim sunt impossibilia nobis præcepta omnia. Quod vero tibi impossibile est in vniuersis operibus legis, facili compendio implebis per fidem: quia Deus pater omnia in fide posuit, vt quisquis hanc habuerit, omnia habeat; qui non habuerit, nihil habeat. Sic promissa Dei hoc donant, quod præcepta exigunt, & implent, quod lex iubet. *Christus est legis finis, qui in eum credit, iustus est.*

\*\* Haec tenus de lege. Ceterum quum apostolus variis modis hac voce vtatur, dabimus ex HENR. HORCHII adparatu ad epist. ad Romanos posteriores definiciones. *Lex est vel operum vel fidei*, c. III, 27. 28. c. IV, 4. 5. c. IX, 31. 32. c. X, 5. 6. Lex opera

operum est duplex, naturæ & placiti. Lex naturæ est, quæ necessario fluit ex Dei hominisque natura vel aetu. Lex placiti est, quæ originem habet ex arbitrio Dei, Eph. II, 15. Col. II, 17. ut lex de discrimine ciborum Rom. XIV, 2. seqq. Lex fidei est verbum euangelii, quatenus id obligat ad fidem in Christum c. III, 27. Addimus his alias appellations. Lex mentis c. VII, 23. est decretum voluntatis regenitæ, de obsequio legi Dei præstanto. Lex peccati, c. VII, 23. opposita legi Dei, est vis nativæ corruptionis, hominem impellens ad prauia: quæ & lex mortis dicitur, c. VIII, 2. quia facit, ut homo morti fructificer, mortisque æternæ reatum augeat. Lex in membris c. VII, 23. est decretum voluntatis corruptæ, de obsequio legi peccati præstanto. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu c. VIII, 2. est efficacia spiritus viuifici, quæ a Iesu Christo profiscitur, spiritumque ac vitam fidelibus impertitur. Lex iustitiae c. IX, 31. est doctrina, qua vera iustitia reuelatur. Hæc notasse, multum in lectione huius epistolæ proderit.

## §. XII.

*Peccati vocabulum quomodo accipientium sit.*

Restat, ut quid vocabulo Peccati accipiendum sit videamus. Peccatum in scripturis non solum significat opus externum, sed totam illam vim & natu-

vam

vam energiam, incredulitatem, seu *con-*  
*nata m prauitatem*, \* qua ex veteri Adam  
*impellimur & rapimur ad peccandum:*  
*nempe cor ipsum prauum, & totam ra-*  
*tionem cum omnibus & optimis & summis*  
*viribus suis*, \*\* quibus nihil aliud possu-  
*mus, quam peccare.* Sie vt tum facere  
*peccatum dicamur, quando hac energia,*  
*ceu impetu quodam, toti ferimur & im-*  
*pellimur ad malum.* Neque ullum pec-  
*catum externum fit, nisi primum homo*  
*hac nativa vi totus, totoque affectu ceu*  
*rotetur & transuersus auferatur ad pec-*  
*candum.*

\* Quæ alias peccatum originis dicitur, quod  
*PHIL. MELANCHTHON*, in *comment. p. u7.* ita descri-  
*bit: P. O. est reatus propter lapsum primorum pa-*  
*rentum in omnibus propagatis secundum naturam,*  
*que prauitas est multiplex caligo in mente de Deo,*  
*& concupiscentia repugnans legi Dei; & propterea*  
*non tantum pena est, sed vere peccatum, propter quod*  
*& rei sunt æternæ iræ homines nascentes, nisi re-*  
*nascantur per filium Dei.* Add. *libr. symb. p. 50. sqq.*

\*\* Displacebunt hæc procul dubio inconsul-  
*tis rationis humanæ admiratoribus, qui rationem*  
*nullo peccati contagio adflatam esse, ambitiose ia-*  
*titant.* Sed vera dixisse B. Lutherum multa scri-  
*pituræ dicta satis euincunt, ut Gen. VI, 5. vbi omne*  
*figmentum cogitationum h. e. omnia iudicia & ratio-*

cinia, tantum mala esse inde a pueritia dicuntur; Matth. XV, 19. vbi e corde exire dicuntur διάλογοι πονηροί; Rom. VIII, 7. vbi Φρόνημα σαρκὸς dicitur esse inimicitia aduersus Deum certe. Sed late pro dolor! hodie regnat ista opinio, quam LUTHERVS in artic. Smalcald.libr. symb. p. 32<sup>10</sup> pontificiis exprobrates. De peccato originali non reēte sentiunt, quia aiunt, naturales vires hominis mansisse omnino integras & incorruptas, & rationem recte posse docere, ac voluntatem posse ea, que docentur, præstare, & Deum certo donare suam gratiam, quum homo tantum facit, quantum in se est, secundum liberum suum arbitrium. Legantur ven. PAVL. ANTONII diss. de astimatione rationis humanae theologica, maxime c. II. & GE. FRID. STIEBERS gecreuzigte Vernunft.

## §. XIII.

*Incredulitas est omnium vitiorum fons & caput.*

Hanc prauitatem cordis & propensionem natuam, hoc vitium & hanc incredulitatem, ceu fontem & caput omnium peccatorum \* respicit scriptura & Deus, quando de peccato loquitur. Quemadmodum ergo sola fides justificat, solaque impetrat & affert spiritum, & vim faciendæ legis & faciendi opera vere bona: sic & sola incredulitas \*\* facit peccatum, & excitat seu accedit car-

carnem ad peccandum & opera mala,  
quemadmodum Adæ & Euæ contigit in  
paradiso. Gen. III.

\* LVTHERV, tom. I, Ien. lat. f. 507. b. Pecca-  
tum radicale, capitale & vere mortale est incogni-  
tum hominibus in yniuerso mundo. Nullus ex  
omnibus hominibus cogitare potuit, peccatum  
mundi esse, non credere in Iesum Christum cru-  
cifixum. Hoc est peccatum originale post la-  
psum Adæ, nobis ingenitum. Non credere in  
Christum, est incredulum & ignarum & auersum  
esse a Deo, qui Christum promisit saluatorem.  
Haec incredulitas trahit secum omnia alia pecca-  
ta, quum sit primi præcepti principale peccatum.

\*\* Punguntur hæc verba in concilio Trid.  
fess. VI, de iustif. can. XXVII, p. 73. Si quis dixer-  
it, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis-  
anathema sit. Sed nihil virii inesse Lutheri ver-  
bis, in suo contextu consideratis, cuius legenti  
adparere potest. Conf. theologi anglicani, STE-  
PHANI SCHARNOCK, libellum, in germanicam et  
iam linguam Berolini 1721. transfusum; *Vom Un-  
glauben der allergrößten Sünde*: In primis cum ver-  
bis Lutheri: *Sola incredulitas facit peccatum & ac-  
cendit carnem ad peccandum, conueniunt, quæ p. 412.  
leguntur.* Der Unglaube erreget alle Sünden im  
Hertzen. Wie sich das Euangelium, wenn es gläu-  
big angenommen wird, allen Sünden widersetzt, und  
uns das ungöttliche Wesen und die weltlichen Lüste zu  
verleugnen lehret: so widerstrebet der Unglaube dem

*Euangelio, und liebkoset allen Sünden. Die Sünde wird dadurch aufgemuntert, und wütet desto mehr; daher entstehet gemeinlich die Wuth und Furie wider das Euangelium, wenn es an einen Ort kommt, da es zuvor nicht war; der Teufel ist alda geschäftig, durch des Menschen Unglauben, alle Kräfte der verdorbenen Natur dawider aufzuwiegeln.*

## §. XIV.

*Vnde Christus incredulitatem in primis peccatum vocat.*

Quare & Christus in euangelio *so-*  
*Jam incredulitatem in primis peccatum\**  
*vocat, Johannis XVI, 9. Spiritus, inquit,*  
*mundum arguet de peccato, quia non cre-*  
*diderunt in me. Quamobrem opera ve-*  
*re bona, veluti boni fructus, non pos-*  
*sunt aliunde proficisci, nisi ex arbore*  
*bona, id est, ex fide in corde agente*  
*& operante. Mala non possunt aliun-*  
*de proficisci, nisi ex arbore mala, id*  
*est, incredulitate in corde. Proinde &*  
*hæc prauitas & incredulitas in corde,*  
*passim in scripturis caput serpentis &*  
*antiqui draconis vocatur, quod per se-*  
*men illud mulieris benedictum, nem-*  
*pe Christum, conterendum sit. \*\**

\* AVE

\* AVG<sup>STINVS</sup>, serm. LXI. de tempore: *Quum præter infidelitatem sint alia multa peccata, cur de hoc solo mundum spiritus sanctus arguit? An quia peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur?* Propterea hoc unum præ ceteris imputat Deus, per quod sit, ut cetera non soluantur, dum non credit in humilem Deum homo superbis. Et tract. XCV, in Ioanne: *Ponit hoc peccatum infidelitatis specialiter: quia hoc manente, cetera manent, hoc decadente, cetera remittuntur.*

\*\* Notari etiam digna sunt *synonyma* alia, quibus Paulus in epist. ad Romanos vitiositatem, naturæ humanæ iniherentem, designat. Vocat eam simpliciter & *κατ' ιζοχν peccatum* c. VI, 12. 14. c. VII, 11. cet. Vocat *peccatum inhabitans*, c. VII, 20. quod non auctu transit, sed sedem suam ac domicilium fixit in carne. Vocat *τὸ οὐκόν malum*, quod bonis operibus adhæret c. VII, 21. Vocat *legem peccati existentem in membris*, c. VII, 23. ubi lex dicitur principium aliquod, facienda vel omittenda nobis suggestens, & cum quadam auctoritate, immo violentia, præscribens. Cui legi peccati subordinata est *lex membrorum*, ibid. hoc est decretrum voluntatis corruptæ, de obsequio legi peccati præstanto. Vocat *carnem* c. VI, 19. c. VIII, 1. 3. rum quia per generationem carnalem propagatur, rum quia per membra corporis crassissimo se modo exserit. Vocat *corpus peccati* c. VI, 6. quia regimen totius corporis omniumque eius membrorum sibi vindicat. Vocat *corpus mortis*, c. VII, 24.

L. 4

quia

quia ista corruptio totum hominem mortis æternæ reum facit. *Vocat veterem hominem* c. VI, 6. *Hominem* adpellat, quia per omnes hominis partes facultatesque longe lateque grassatur. *Veterem hominem*, quia hæc corruptio ex veneno antiqui serpentis orta, & cuius homini coœua est, & quia tanquam r̄s obsoleta & longo vſu detrita, cum fastidio abiicienda est. *Vocat* c. VII, 7. *concupiscentiam*, originalem scil. vel habitualem, ex qua omnis cupiditatum nostrarum confusio oritur, cet.

## §. XV.

*Quomodo gratia & donum differant.*

Ceterum, hæc duo vocabula, *Gratia* & *Donum*, sic differunt. *Gratia* est favor, misericordia, gratuita benevolentia Dei erga nos. *Donum* est ipse Spiritus Sanctus, quem in eorum corda effundit, quorum est misertus & quibus fauet, quemadmodum hoc capite V, 15. 17. apparet, vbi distinguit a gratia donum. \* Tametsi nunc non contingat nobis plenitudo doni aut spiritus in hac vita, semper manentibus in nobis reliquiis peccati, quæ pugnant contra spiritum, quemadmodum cap. VII. dicit, & Gal. V, 17. & Genes. III, 15. etiam pugnam futuram ait inter semen mulieris

&amp;

& semen serpentis: tamen hoc efficit in nobis gratia, ut quod reliquum est peccati, non imputetur, & pro plene iustis reputemur coram Deo. Neque gratia aut fauor Dei sic imperfectus nobis contingit, \*\* quemadmodum de dono diximus: sed pleno fauore plenaque benevolentia complectitur nos Deus propter Christum mediatorem nostrum, & arrabonem & primitias spiritus. Quantumuis igitur subinde gliscant & micent in nobis reliquiæ peccati: tamen iusti nihilo secius sumus coram Deo, & peccatum non imputatur propter fidem, carni assiduo rursus relutantem.

\* PHIL. MELANCHTHON, in comment. p. 121. *Vocabulum gratiae significat gratuitam misericordiam, remissionem peccatorum, & gratuitam acceptionem propter filium Dei. Donum per gratiam non tantum significat in hac vita donationem spiritus sancti, sed integrum beneficium Christi, scilicet vivificationem & sanctificationem in hac vita, & deinde vitam eternam.*

\*\* His verbis opposita videntur, quae leguntur in conc. Trid. sess. VI. de iustif. c. VII. §. 2. ubi dicitur, in iustificatione recipere quemque iniustum, secundum suam mensuram. Conf. ed. Hall. p. 43. 45. Sed vera tamen dixit Lutherus. Qua de

de re mentem suam clarius explicat tom. II. Ieron.  
lat. f. 403.a. *Ira & gratia sic se habent, ut in totum  
hominem effundantur, ut qui sub ira est, totus  
sub tota ira est, qui sub gratia, rotus sub tota gra-  
tia est; quia ira & gratia personas respicunt.  
Quem enim Deus in gratiam recipit, totum reci-  
pit, & cui fauet, in totum fauet. Non enim paritur  
hanc gratiam, sicut dona paritur, nec diligit caput,  
& edidit pedes, nec fauet anima, & edidit corpus.*

## §. XVI.

*Quia iustificatis non contingit plenitudo donis, hinc  
& iusti sunt & peccatores.*

Sic ergo nunc intelligis cap. VII. vbi  
Apostolus, tametsi spiritu iustificatus,  
adhuc peccatorem se agnoscit, cum ta-  
men cap. VIII, i. dicat: *Nihil igitur nunc  
damnationis est eis, qui sunt in Christo Iesu.  
Quicunque igitur per fidem & Chri-  
stum justificamur, peccatores sumus &  
iusti.\* Peccatores quidem, propter im-  
perfectam mortificationem carnis, &  
quia in hac vita, manentibus in nobis  
reliquiis peccati, non consequimur ple-  
nitudinem spiritus. Iusti, quia primi-  
tias & arrabonem spiritus per fidem ha-  
bemus, & propter Christum & fidem  
Deus nobis paterne fauens, quod reli-*

quum est in carne peccati, non imputat neque iudicat, donec per mortem pro rufus peccatum frangatur & aboleatur. \*\*

\* LUTHERVS tom. I. Ien. lat. f. 507. a. Ideo & peccator est adhuc, quisquis iustificatur, & tamen velut plene & perfecte *iustus* reputatur, ignoscente & misericorde Deo. Ignoscit autem & misericordet nostri Deus, intercedente & sanctificante nostrum initium iustitiae, Christo aduocato & sacerdote nostro. Cuius iustitia quum sit sine virtute, & nobis umbraculum contra astum irae Dei factum, non finit nostram inceptram iustitiam damnari. It. tom. IV. Ien. f. 75. a. Donec viuo in carne, vere peccatum est in me. Quia vero sub umbra alarum Christi, velut pullus sub aliis gallinæ, protegetur, & securus ago sub latissimo cælo remissionis peccatorum, quod supra me obductum est; tegit & condonat Deus reliquum peccati in me. Sic viuimus sub velamine carnis Christi, qui est columna nostra nubis per diem, & ignis per noctem, ne Deus videat peccatum nostrum.

\*\* LUTHERVS tom. I. Ien. lat. f. 509. a. Interim fouemur in sinu Dei, tanquam initium creaturæ nouæ, donec perficiamur in resurrectione a mortuis. Formatur Christus in nobis continuo, & nos formamur ad imaginem ipsius, dum hic vivimus.

### §. XVII.

*Fides, quid non sit.*

Nunc de Fide videamus. Fides  
non

non est frigida quædam opinio, \* aut va-  
ga humani animi cogitatio, quam quis  
sibi, audiens euangelii historiam, pos-  
set ipse sic comminisci & stulte finge-  
re. Quidam enim, cum multa audiunt  
prædicari de fide, videntque se posse  
multa de fide, de Christo differere, &  
tamen ex ea cognitione aut cogitatio-  
ne, aut etiam diligentí meditatione,  
non protinus se accendi ad opera, aut  
sequi opera bona: eo deueniunt impiū  
erroris, vt negent sola fide nos iustifica-  
ri, \*\* sed simul requiri opera. Et illi  
quidem cum audiunt euangelium, fin-  
gunt sibi quandam opinionem, animo-  
que versant frigidas quasdam cogitatio-  
nes de Christo, tum putantes, illud sui  
animi somnium & has cogitationes ina-  
nes esse fidem. Atque horum nunc hæ  
præclaræ voces sunt: Cedo, inquiunt,  
si sola fides iustificat, en, audiui euau-  
gelium, teneo historiam de Christo, en  
credo. Sed quia hoc frigidum est  
commentum & humana cogitatio, quæ  
cor nihil nouat, nihil afficit: nulla et-  
iam *nova vita*, \*\*\* nulla opera fidei se-  
quuntur.

\* LV.  
\*\*

\* LVTHERV<sup>S</sup> tom. Ien. lat. IV. f. 43. b. Fides christiana non est otiosa qualitas; vel vacua siliqua in corde, quæ possit existere in peccato mortali, donec charitas accedat, & eam viuificet: sed si est vera fides, est quædam certa fiducia cordis, & firmus assensus quo Christus adprehenditur. Iustificat ergo fides, quia apprehendit & possidet illum thesaurum, scilicet Christum præsentem.

\*\* Immo non negant solum, sed anathema etiam dicunt cum Paulo id credentibus atque docentibus. Conc. Trid. p. 68. *Si quis dixerit, sola fide impium iustificari -- anathema sit.* Sed recte LVTHERV<sup>S</sup>, tom. IV. Ien. lat. f. 46. a. Victoria peccati & mortis, salus & vita æterna non continunt per legem, non per opera legis, non per vires liberi arbitrii aut nostram voluntatem, sed per solum Iesum Christum. Ergo sola fides, hæc adprehendens, iustificat. Ibi libenter patiemur nos vacari *solarios* ab aduersariis, qui de hac Pauli disputatione nihil intelligent.

\*\*\* LVTHERV<sup>S</sup> tom. IV. Ien. lat. f. 56. b. Tanta vis est fidei, quæ nos viuos facit ex mortuis. Hinc Paulus Gal. II, 20. ait: *quod nunc viuo in carne, in fide filii Dei viuo.* Ex his intelligi potest, vnde veniat illa aliena & spiritualis vita, quam animalis homo non percipit; nescit enim, qualis hæc sit vita - quia illa vita est in corde per fidem, ubi extincta carne regnat Christus cum suo spiritu, qui iam videt, audit, loquitur, operatur, patitur, & simpliciter omnia agit in ipso, etiamsi caro re-

Iu-

ludetur. Breuiter, ista vita non est carnis, licet sit in carne, sed Christi filii Dei, quem fide possidet Christianus. Similiter Libr. symb. p. 83. Fides adfert spiritum sanctum, & parit nouam vitam in cordibus.

## §. XVIII.

*Fides quid sit.*

Vera fides autem est opus Dei in nobis, quo renascimur & renouamur ex Deo & Spiritu Dei, Ioannis I, 12. 13. quo vetus Adam occiditur, nosque toti transformati per omnia, ut Apostolus inquit, Christo, *nouæ creature*\* effici-  
murus per fidem, ubi vita & gubernatio cordis fit Spiritus Sanctus. Tam effi-  
cax autem, viua, spirans & potens en-  
ergia in corde est fides, \*\* ut non possit  
otiosa esse, & non erumpere in opera.  
Neque is, qui fidem habet, moratur, an  
bona opera præcepta sint, an secus:  
sed etiam si nulla esset lex, viuo hoc  
impulso agitante & prudente in cor-  
de, sponte fertur ad operandum, ne-  
que cessat vñquam vere pia vereque  
christiana operari. Qui vero ex tali  
viuo affectu cordis non facit sua bona  
opera, is in incredulitate est totus &  
alie-

alienus a fide, quemadmodum plerique multa de fide & operibus disputant & in scholis decantant, non intelligentes, quid loquantur, neque de quibus adfiment. \*\*\*

\* LUTHERVS tom. I. Ien. lat. f. 507. b. Fidem comitatur initium *creatura noue* & pugna contra carnis peccatum, quod eadem fide Christi & ignoratur & vincitur. It. ad Gal. VI, 15. tom. IV. lat. Ien f. 189. b. Nona *creatura*, qua reparatur imago Dei, non sit simulatione vllorum operum exterorum, sed per Christum, imaginem Dei, in iustitia & sanctitate veritatis creatur. Opera quum sunt, nouam quidem speciem adferunt, sed non nouam creaturam. Cor enim manet impium, sicut antea, plenum contemptu Dei, infidelitate &c. Ideo noua creatura est opus spiritus sancti, qui fide purificat cor, & efficit timorem Dei, charitatem, castitatem &c. ac donat virtutem demandae carnis, & fugiendae iustitiae & sapientiae mundi. Retiera hic sensus aliis, & aliud iudicium, nempe spirituale, nascitur, quod ea, quae prius magnifecit, post abominatur. Vbi vero cor novam lucem, nouum iudicium, & novos motus per euangelium, concipit, sit ut externi quoque sensus innouentur. cet.

\*\* LUTHERVS in Genes. XII, 4. Est fides res viuax, potens, non otiosa cogitatio, nec innata cordi, sicut anser aquae; sed sicut aqua igne calefacta, et si manet, tamen non amplius frigida, sed

ca-

calida & prorsus alia aqua est: ita fides, spiritus sancti opus, aliam mentem & sensus alios fingit, ac prorsus nouum facit hominem. Est igitur fides operosa difficultis & potens res. Mutat enim animos ac sensus. Plura egregia de natura fidei ex scriptis Lutheri collegit B. IO. HENR. MAIVS, in *theologia Lutheri, loc. XXI. p. 1053. seqq.*

\*\*\* *LVTHERVS tom. I. lat. f. 528. a.* Sophistæ docent fidem informem stare cum peccato mortali. Sequitur ergo, fidem hanc informem meram esse incredulitatem contra Christum. Quin figmentum & idolum vanissimum est cordis illorum, qui nesciunt, quid loquantur, aut de quibus adfiment. Non est opus hominum, sed spiritus domini fides Christi. Fides autem informis est cogitatio seu imaginatio hominis, id est, nulla fides. Frustra iactatur, fidem informem charitate fieri *formatam*, & sic iustificare. Charitas enim non approbat, multo minus informat idolum, mendacium & figmentum hominis, sed potius destruit. Extra synagogam pellendæ sunt illeæ barbaræ sophistarum voces, *fides informis, formata* cet. Sunt enim desumptæ ex philosophia rationis, quæ non potest ea capere & tradere, quæ sunt Christi & Spiritus eius. Immo vero sunt profanæ vocum inanitates, quæ nec a docente nec audiente intellegi possunt.

### §. XIX.

#### *Vlterior fidei descriptio.*

Fides ergo est fiducia constans miseri-

cor-

cordiæ Dei erga nos,\* in corde viuens & efficaciter agens, qua proiicimus nos toti in Deum, & permittimus nos Deo, qua certo freti *non dubitemus* \*\* millies mortem oppetere. Et hæc tam animosa fiducia misericordiæ Dei cor exhilarat, erigit & excitat, rapitque dulcissimis quibusdam affectibus erga Deum, animatque sic cor illud credentis, ut Deo fretus non reformidet, se solum opponere omnibus creaturis. Hoc ergo pectus heroicum, hos ingentes animos indit cordi Dei Spiritus, qui datur per fidem. Atque hinc consequimur, tum & hac viua energia in corde impellimur ad bonum. \*\*\* Hanc hilarem propensionem consequimur, ut sponte & vltro ardentes & promissimi simus, facere, tolerare, & pati omnia in obsequium tam clementis patris & Dei, qui per Christum tanta opulentia gratiæ nos ditauit, & tantis opibus ceu adobruit. Fieri nequit, vt hæc efficacia & vita fidei in vlo sit, quin assiduo operetur, quin Deo fructificet. Haud secus atque impossibile, rogam aut pyram accendi, quæ non luceat.

M

\* Non

\* Non certe meruerant hæ & similes descriptiones fidei anathemate a patribus conc. Trid. perstringi, p. 69. Si quis dixerit, fidem iustificationem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum - anathema sit. Vide, quæ ad verba, nihil aliud esse, loco cit. vener. PAVLVS ANTONIVS adnotavit.

\*\* Contraria omnia in concil. Trid. traduntur, vbi p. 69. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum adsequendam necessarium esse, ut credat certo & absque villa hesitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit. Recte vero LVTHERVS in Gen. XLII. Etiam si nihil præterea peccatum fuisset in doctrina pontificia, quam quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum; gratia & salute nostra; iustas tamen habemus causas, cur ab ecclesia infideli nos se iungemus. Sed quid mysterii subsit isti doctrinæ pontificiorum, quod nempe omnes redditus pontificiæ nundinationis hoc fundamento nitantur, pluribus docet MART. CHEMNITIVS, in exam. conc. Trid. p. 165. ed. Genev. 1641.

\*\*\* Libri symb. p. 18. Quia per fidem accipitur spiritus sanctus, iam corda renouantur, & induunt nouos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait AMBROSIVS: *Fides bona voluntatis & iusta actionis genitrix est.* Nam humanæ vires sine spiritu sancto plenæ sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores, quam ut bona ope-

ra possint efficere coram Deo. Adhæc sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelerata. Quemadmodum est videre in philosophis, qui & ipsi conati honeste viuere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, quum est sine fide, & sine spiritu sancto, & tantum humanis viribus se gubernat.

## §. XX.

*Consilium, de fide acquirenda.*

Proinde ibi aduigila, ne vanis animi tui cantibus & stultis cogitationibus aut sophistarum ineptiis credas. Nihil enim cordis neque cerebri habent sophistæ, animalia ventris sunt, solum ad solennes illas scholarum epulas nata. Ora tu Deum, qui iussit verbo e tenebris lucem splendescere, ut ille illucescat in corde tuo, & fidem in te creet: alias nunquam credas, etiamsi mille annis, talibus cogitationibus fingendis, fidei acquisitæ aut acquirendæ studeas.

## §. XXI.

*Fide consequimur veram iustitiam.*

Hæc fides nunc est vera iustitia, \* quam Apostolus e. I, 17. vocat *Dei iustitiam*, \*\* id est, quæ valet & subsistit co-

M 2 ram

ram Deo, quia donum merum Dei est. Atque hæc totum hominem transfor-  
mat & nouat, & talem facit, ut reddat,  
iuxta vulgarem illam iustitiæ definitio-  
nem, vnicuique quod suum est. Nam  
cum per eam fidem iustificemur, & im-  
buamur amore legis Dei: tum sane sic  
magnifacientes Deum & legem, glori-  
am, quæ debetur Deo, ei tribuimus.  
Deinde cum per eandem fidem creda-  
mus, nos gratis reconciliatos Deo, per  
Christum, qui nostræ vbique saluti ser-  
vivit: tum & vicissim inseruimus pro-  
ximo, ac sic iterum reddimus vnicuique  
quod suum est.

\* LUTHERVS in sermone *de triplici iustitia*,  
tom. I. Ien. lat. f. 168. seqq. triplex esse peccatum  
ostendit, cui triplex opponatur iustitia. Primum  
peccatum vocat *criminale*, quod etiam potestas  
secularis punit, vt furtum, homicidium, cer. Cui  
iustitiam contrariam facit illam speciem iustitiæ,  
qua fit, ut coram hominibus bonus vir sis, & accu-  
sari non possis. Hæc facit superbos hypocritas, &  
temerarios iudices aliorum. Peccato *originali*,  
alieno, & incurabili viribus humanis, opponit iu-  
stitiam contrariam, similiter alienam, quæ est iu-  
stitia Christi & nostra fit per fidem. Peccato  
*actuali* opponit iustitiam actualem, fluentem ex  
fide

fide & iustitia essentiali. Conf. etiam *tom. IV. Ien. lat. fol. 5.* in argumento epistolæ ad Galatas.

\*\* Magni Lutherο constitit genuina huius locutionis intelligentia. Quum enim ex Aristotele & scholasticis doctoribus non nisi conceptus ethicos de iustitia imbibisset, hoc etiam loco Rom. I, 17. vbi *iustitia Dei* in euangelio reuelari dicitur, intelligebat illam Dei virtutem, qua ipse iustus est, & damnat peccatores. Vnde hæc verba Pauli non sine fremitu legebat, quumque ad epistolam Pauli ad Romanos fratribus suis Erfurti explanandam arcano quodam instinctu traheretur, his tamen verbis se rursus a proposito dimoueri patiebatur. Oderam enim, *inquit*, vocabulum istud, *iustitia Dei*, quod vsu & consuetudine omnium doctorum doctus eram philosophice intelligere, de iustitia, ut vocant, formalí, qua Deus est iustus, & peccatores iniustosque punir. Ego autem, qui me, vt cumque tamquam irreprehensibilis monachus viuebam, sentirem coram Deo esse peccarorem inquietissimæ conscientiæ, nec mea satisfactiōne placatum confidere possem. Detim, non amabam, immo odiebam iustum & punientem peccatores Deum, tacitaque si non blasphemia, certe ingenti murmuratione, indignabar Deo, dicens: Quasi vero non satis sit miseros peccatores & æternaliter perditos peccato originali, omni genere calamitatis oppressos esse per legem decalogi; nisi Deus per euangelium dolorem dolori adderet, & etiam per euangelium

M 3

iusti-

iustitiam & iram suam nobis intentaret. Furebam ita saeva & perturbata conscientia, pulsabam tamen importunus eo loco Paulum, ardenter siens scire, quid Paulus vellat. Donec miseren-  
te Deo ( factum autem id est Bononiae in Italia, ubi  
anno 1510. ægrotus decumbebat, & cum grauissi-  
mis temptationibus conflectabatur ) meditabundus  
dies & noctes, connexionem verborum attende-  
rem: *Iustitia Dei revelatur in illo, sicut scriptum  
est, Iustus ex fide viuet.* Vbi iustitiam Dei cœpi in-  
telligere eam, qua iustus ex dono Dei viuit, nempe  
ex fide: & esse hanc sententiam; Reuelari per  
euangelium iustitiam Dei, qua nos Deus miseri-  
cors iustificat per fidem. Hic me prorsus rena-  
rum esse sensi, & apertis portis intrasse in ipsam pa-  
radisum. Ibi continuo alia mihi facies totius scri-  
præ adparuit. Iam quanto odio vocabulum,  
*iustitia Dei*, oderam ante, tanto amore dulcissi-  
mum mihi vocabulum extollebam, ita mihi iste  
locus Pauli fuit vera porta paradisi. Hæc ipse LV-  
THERVS de se narrat in *prafat.* ad *tom. I. Ien. lat.*  
Adde 10. HENR. MAI *theol. Lutheri*, p. 1009. & M.  
BVEGERI *Nachricht von Lutheri Münchs-Stande*,  
pag. 178.

## f. XXII.

*Propriis viribus nunquam comparandam.*

Hanc cordis iustitiam nullis cona-  
titibus liberi arbitrii, \* nullis nostris vi-  
ribus aut meritis consequi poterimus.  
Nam quemadmodum viuam illam ener-  
giam,

giam, nempe fidem, cordi indere nemo potest, nisi solus Deus: ita & malitiam seu incredulitatem illam cordis, nemo a se depellere potest, nisi per gratiam & spiritum Dei, tantum abest, ut ab ullo peccato ex nostris viribus liberari queamus. Quantumuis igitur speciosum fucum preferant opera, tamen quicquid non ex fide est, hypocrisis & peccatum est.

\* Liberum arbitrium ERASMVS ita definiuerat: *Est vis voluntatis humanae, qua se homo potest applicare ad ea, que perducunt ad eternam salutem, aut ab iisdem auertere.* Hanc vim inesse voluntati sibi relicta hominis irregeniti, negat Lutherus, contrariamque sententiam multis epistola ad Romanos locis fortiter euertit in libro de seruo arbitrio, p. 190 - 212. ed. Seb. Schmidio. Vocat ibi p. 206. Paulum, liberi arbitrii vastationem iniuctum, & multa ex epistola ad Romanos dicta egregie illustrat.

## §. XXIII.

*Carnis & spiritus vocabula explanantur.*

Quod praeterea ad has voces, *Caro, Spiritus*, quæ crebro incident in hac epistola, attinet, non tantum carnem vocabis, more vulgi, desideria libidinis: neque spiritum vocabis ea solum, quæ sic

in illis internis cordis recessibus geruntur.

## §. XXIV.

*Quid sit caro.*

Carnem \* enim vocat Apostolus, sicut & Christus Iohan. III, 6. quicquid ex carne natum est, hoc est, totum hominem, corpus & animam, totam rationem, cum summis & optimis suis viribus. Eo quod hæc omnia nihil quam carnem sapiant, nihil quam carnalia querant. Carnem igitur vocabis, quicquid sine spiritu Dei, etiam de Deo, fide, de rebus spiritualibus cogitamus aut loquimur. Carnem vocabis omnia opera quantumvis bona, quantumvis in speciem sancta, quæ sine gratia & agitatione Spiritus Dei in corde fiunt. \*\* Id quod satis patet ad Gal, V, 20. vbi inter fructus carnis hæreses seu sectas numerat. Et ad Roman. VIII, 3. dicit, legem infirmari per carnem: non autem de libidine duntur, \*\*\* sed tota malitia & prauitate, breuiter incredulitate, quæ occultissimum & præcipuum peccatum est, hoc accipi debet.

M

\* Due.

\* Duplex maxime acceptio huius vocis in scriptis Paulinis regnat. Adhibetur enim *carnis* vocabulum I. de *labe peccati*, siue de intima *corruptione*, quæ totum hominem, ipsasque nobilissimas eius facultates intusit, ut c. VII, 5. 18. 25. c. VIII, 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 13. 14. Gal. V, 13. 16. 17. 19. 24. cet. II. De *circumcisione*, aliisque extensis & *iudaicis prærogatiis*, Rom. IV, 1. 2 Cor. V, 16. Phil. III, 3. 4. quo etiam pertinent opera externa, ad *præscriptum legis ritualis facta*, Ebr. IX, 10. 13. Gal. VI, 12. cet. Sæpe etiam in Pauli epistolis *caro spiritui* diuersa significatione opponitur. Nam I. Caro notat *corruptionem*, *spiritus renouationem* Rom. VIII, 1. II. Caro notat *corpus*, *spiritus animam*, c. II, 28. 29. III. Caro notat *humam naturam*; *spiritus diuinam*, c. I, 3. 4. c. IX, 5.

\*\* LVTHERV, tom. IV, Ien, lat. f. 46. b. Caro significat Paulo sumimam iustitiam, sapientiam, cultum, religionem, intellectum, voluntatem, quanta potest esse in homine animali.

\*\*\* LVTHERV, comm, in Gal. V, 16. tom, Ien. Lat. IV, f. 167. b. Sophistæ concupiscentiam carnis interpretantur libidinem. Non nego, concupiscentiam carnis complecti libidinem, sed non solam. Quia omnes vitiosos affectus complectitur, quibus pii etiam laborant, alii magis, alii minus, ut sunt superbia, odium, impatientia, auaritia et. Constat igitur, illum loqui de eniuersa politia peccati, que luctatur in piis, qui primitias spiritus acceperunt, aduersus politiam spiritus. Quare vero

prava concupiscentia ad carnem referatur, eius rei aliquot rationes edisserit CAMP. VITRINGA in observ. sacr. lib. III. c. X. p. 640.

## §. XXV.

Quid sit spiritus.

Et contra, *spiritum*\* vocabis res spirituales, etiam externa opera, quæ ab homine spirituali, seu ex corde Spiritu Sancto innouato, profiscuntur. Spiritus erat lotio pedum, quam Christus exhibebat discipulis, quantumuis opus externum. Spiritus erat pista-  
tio Petri, ad quam rediit iam spiritu iu-  
stificatus. Caro igitur est, quicquid homo facit, quærens & sapiens carna-  
lia. Spiritus est, quicquid intus aut foris fit, quo homo fidem & charita-  
tem exercens, quærit spiritualia. Ni-  
si in eum modum accipias hæc vocabu-  
la, neque epistolam hanc Pauli, neque  
vulos alios libros diuinæ scripturæ in-  
telliges. Proinde siue Hieronymus  
sit, siue Augustinus, siue Ambrosius, si-  
ue Origenes, \*\* breuiter, quicunque tandem sint scriptores, qui has voces  
aliter usurpant, nihil te moueat aucto-  
ritas hominum, sed tanquam pestem  
fuge

fuge omnes. Nunc ad epistolam ipsam accingamur.

\* Diuersas huius vocis significationes longo ordine recenset MATTH. FLACIVS, in clave scripturae, part. I. p. 1186. seqq. ex quibus maxime hoc pertinet illa, I. qua spiritus carni seu naturae virtutis etiati opponitur, vbi notat voluntatem regentem & Spiritu Sancto agitatam, ut c. VIII, i. 10. II. Quia spiritus litera h. e. externae legis doctrinæ opponitur, vbi notat efficaciam euangelii & spirituali nouæ œconomiae indolem, ut Rom. VII, 6. 2 Cor. III, 6.

\*\* De ORIGENE præsertim passim conqueritur PHIL. MELANCHTHON, in commentario. Ut p. 62. *Origenes & alii multi in dicto: Iustitia Dei reuelata est sine lege, fecit perniciosem mutilationem, sine lege, scil. ceremoniali & iudicali.* — Delabitur deinde ad has hallucinationes, euangelium esse nouam legem, & iustitiam euangelii esse opera, quæ præcipiuntur in dictis legalibus, quæ passim recitantur a Christo & apostolis. Er rursus p. 139. ad verba: Scimus, quod lex sit spiritualis. *Hoc dictum insulsissime depravatum est ab ORIGINE, & ceteris, qui eum secuti sunt, qui sovniarunt, tantum hoc diei, lex est spiritualis, id est, allegorica in ceremoniis.* Condonandæ sunt istæ hallucinationes summo viro, & de re christianorum egregie merito. De reliquis patribus MELANCHTHON, p. 7. *Quamquam scriptores interdum improprie de iustificatione locuti sunt, tamen*

6011.

congruere cum hac sententia multos videmus, ut  
AVGVSTINVM, PROSPERVM, AMBROSIVM, BASILIVM,  
BERNHARDVM, TAVLERVM & alios. Adeoque non  
contemnimus ecclesie iudicium ac testimonium, ut  
ad pias mentes toto orbe terrarum, intelligentes ex-  
ercitia pœnitentiae, prouocemus.

## SECTIO II.

QVA ARGUMENTA CAPITVM TRADVNTVR.

*Synopsis.*

Traditur argumentum  
capitis primi, §. I.  
secundi, §. II. tertii,  
§. III. quarti, §. IV.  
V. VI. quinti, §. VII.  
VIII. sexti, §. IX. X.  
XI. septimi, §. XII.  
XII. XIV. octaui, §.  
XV. noni, decimi,  
vndecimi, §. XVI.

XVII. XVIII. duo-  
decimi, §. XIX. de-  
cimi tertii, §. XX.  
decimi quarti, §. XXI.  
decimi quinti, §.  
XXII. XXIII. Laus  
epistolæ, §. XXIV.  
Summa capitinis vlti-  
mij & conclusio, §.  
XXV.

## §. I.

*Summa capitinis primi huius epistolæ.*

**C**Vm igitur euangelistæ officium  
sit, primum prædicare legem,\* &  
ostendere, omnes homines citra  
gratiam & fidem in Christum esse filios  
iræ, esse peccatores, nihilque posse,  
quam peccare, ut sic agnoscentes suam  
mi-

miseriam suasque ærumnas, humiliati & contriti sitiant gratiam: Apostolus quoque primo capite primum obiurgat incredulitatem & peccata illa crassiora, quæ palam scelera manifesta erant, ut erant idololatria, & id genus crassa peccata gentium, hodieque sunt eorum, qui sine gratia & sine spiritu ignari Dei in cæcitate viuunt. *Palam fit*, inquit, per euangelium \*\* *ira Dei, de cælo, aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia dei- nent.* Nam quanquam Deum esse ex creaturis homo cognoscat: tamen sine gratia natura tam mala & prava est, ut non glorificet neque gratias agat, sed occæcata semper peioribus dedat se, donec idololatriam & omnia scelera non modo patret ipsa, sed etiam faueat aliis & consentiat facientibus.

\* Pluribus id euincit LVTHERVUS in *disputa- tionibus aduersus antinomos*, anno 1538. vulgatis, quæ exstant tom. I. Ien. lat. f. 517. seqq. Vide etiam not. ad §. II.

\*\* Ita & LVTHERVUS, tom. III. Ien. lat. edit. 1603. f. 491. in cap. III. Ioelis: *Deus inquit, mittam eis verbum euangeli, ut sic agnoscant suum errorem, & suum peccatum, faciamque mihi amicos, quæ ante*

antea summe mibi aduersati sunt. Similiter PHIL.  
MELANCHTHON, in commenat. ad hanc epist. p. 33.  
Deus in ministerio euangelii arguit omnes homines,  
in hac naturae infirmitate, & adfirmat, omnes rcos  
esse peccati & aeterna pæna, nec posse liberari a  
peccato & ab aeterna ira per propriam iustitiam.  
Item in corp. doctrina, cap. de contritione p. 346.  
Utendum est & voce euangeli, quæ accusat in mundo  
contemnum ira & misericordia, quæ cernitur  
exhibito filio. Iḡitur inquit Christus: Spiritus  
Sanctus arguet mundum de peccato, quod non crea-  
dunt in me. Nam cogitemus, quam late pateat hac  
prædicatio, accusans & condemnans peccata. Sed  
nimur in his & similibus locis vox euangeli  
non sibi & proprie accipitur, prout legi contra-  
distinguitur, vbi est μαρτύριον χάριτος, Act. XX,  
24. sed late pro toto ministerio verbi, vbi & legem  
sub se complectitur, cuius proprium officium est  
arguere peccata & iram Dei reuelare. Vid. libr.  
symb. p. 592. 709. 711. Alii Rom. I, 18. intelligunt  
reuelationem iræ diuinæ, quæ fit per effectus, scil.  
per horrendas pœnas, gentilibus, naturæ lumine  
abusis, diminitus infictas, quæ deinde v. 24. seqq.  
longo ordine recensentur. In eo enim est Paulus,  
ut primum gentiles, (deinde etiam Iudeos) con-  
vincat, eos vera iustitia, quæ Deo placere possit,  
destitui. Id vero hoc modo probat: *Contra quos  
ira Dei reuelatur, eis deest vera iustitia.* Atque  
contra gentes reuelatur ira Dei. Ergo eis deest  
vera iustitia. Vbi ostendit I. Gentes habuisse veri-  
tatem

ratem de existentia & cultu Dei, v. 19. 20. II. De-  
tinuisse eam in iniustitia, v. 21. 22. 23. III. Iram  
Dei super eorum iniustitia reuelatam esse, v. 24.  
seqq.

## §. II.

## Summa capitinis secundi.

Capite secundo latius ostendit, pec-  
catores esse etiam *sanc̄tulos*\* illos, & hy-  
pocritas speciosos, cuiusmodi erant  
Iudæi, hodieque sunt omnes iustitia-  
rii operum, qui suis viribus conantur  
implere legem, foris bona opera faci-  
unt, intus tamen molestiam illam cor-  
dis alentes, legem oderunt. Atque  
hi, vt solent veri hypocritæ, alios fa-  
cile damnant & iudicant, se sanctos &  
puros habent, cum sint pleni malitia  
& dolo & omni spurcitie, vt Matth.  
XXIII, 28. Atque hi sunt, qui sanctos  
se simulantes, bonitatem Dei reuera-  
contemnunt, & iuxta duritiem cordis  
sui, iram sibi in die iræ thesaurisant.  
Paulus ergo vt verus euangelista, pri-  
mum legem prædicans, omnes ex æ-  
quo sub peccato concludit, omnibus-  
que iram Dei denuntiat. \*\* Tantum  
igitur abest, vt ii, qui ex naturæ viri-  
bus aut liberi arbitrii bene operantur  
quic-

quicquam, sint crassis illis peccatoribus meliores, ut etiam obstinatos & pœnitentiæ nescios & alienos Apostolus eos vocet.

\* *Sanctuli & hypocrite* tanquam synonyma a confessoribus nostris adhibentur. In libr. symb. p. 721. circa fin. hæc eorum descriprio legitur: *Homo nondum renatus, qui vicinque secundum legem Dei vivit, & opera legis ideo facit, quia ad eum modum sunt mandata, eamque obedientiam formidine pœna aut spe præmissi alicutus prestat: is adhuc sub lege est, tamquam seruus, & opera eius proprie a Paulo legis opera vocantur, quia talia opera à lege extorta sunt; & hi sunt cainici sanctuli, hoc est hypocrita.* Pag. 325. describuntur ut homines, qui violenter sancti esse volunt. Pag. 392. lin. vlt. præsumtuosi sancti vocantur. LVTHERVS tom. IV. Ien. lat. f. 182. a. adpellat tetricos & immisericordes sanctos cet. Hæc talia vocabula armare in sanctitatis euangelicæ sectatores, magne impieatis indicium est.

\*\* LVTHERVS tom. IV. Ien. lat. f. 42. b.  
Vera christianismi ratio hæc est, quod homo primum per legem agnoscat, se esse peccatorem, cui impossibile sit, ullum bonum opus facere. Lex enim dicit, tu es arbor mala; ideo oinnia, quæ cogitas, loqueris & facis, pugnant contra Deum. Non igitur poteris mereri gratiam operibus tuis. Si vero hoc tentas, facis malum deterius, quia quum mala sis arbor, non potes fac-

facere nisi malos fructus, hoc est, peccata. Quidquid enim ex fide non est, peccatum est. Quare velle mereri gratiam præcedentibus operibus, est velle Deum placare peccatis; quod nihil aliud est, quam peccatis addere peccata, ridere Deum, & eius iram prouocare. Quum homo sic eruditur lege, terretur, ac humiliatur, vereque videt magnitudinem peccati sui, ac ne micam quidem dilectionis Dei inuenit, iustificat Deum in verbo suo, & fatetur se reum æternæ mortis. Est igitur prior christianismi pars prædicatio pœnitentiæ & cognitionis sui ipsius. cer.

## §. III.

*Summa capitii tertii.*

Tertio capite ostendit, utrosque, tum Iudæos, tum etiam gentes, ex æquo esse peccatores coram Deo: in hoc tamen Iudæos nonnihil præcellere gentes, quia illorum sint promissiones, & commissa sint Iudæis eloquia Dei. Et licet quidam ex eis non crediderint, hoc tamen veritatem Dei non fecisse inanem aut irritam. Et eo adducit locum Psalmi LI, 6. Quemadmodum scriptum est, inquit, ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris.\* Deinde rursus redit ad causam, & ostendit,

N

omnes

omnes ex æquo peccatores esse, & neminem ex operibus legis iustificari, \*\* sed per legem solum esse cognitionem peccati. Postremo docet veram viam iustitiae & salutis. Omnes, inquit, peccauerunt, & destituantur gloria Dei, iustificantur \*\*\* autem gratia \*† per illius gratiam, per redemitorem, quicq; est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem, interuenientem ipsius sanguine &c. & paulo ante: Nunc vero, inquit, iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis ac prophetarum: iustitia vero per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt. Sic lex per fidem stabilitur, quantumvis opera & gloriatio in operibus legis per fidem excludatur.

\* Confer quæ in hunc versum commentatus est LVTHERV, in egregia exegesi Psalmi L. tom. IV. Ien. lat. f. 383. seqq.

\*\* Exstant in illa Pauli verba Rom. III, 28. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis, quinque LVTHERI disputationes, anno 1536. habitæ, quibus singulæ voces Paulini illius dicti diligentissime excutiuntur, tom. I. Ien. lat. fol. 502. seqq.

\*\*\* Prorsus cum hac doctrina Paulina consentit publica ecclesiæ nostræ confessio Aug. Conf. art. IV. Docent, quod homines non possint iustificari

cari coram Deo propriis viribus, meritis & operibus; sed gratis iustificantur propter Christum per fidem, quum credunt se in gratiam recipi, Specata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem reputat Deus in iustitiam coram ipso, Rom. III. § IV. Add. libr. symb. pag. 60. 335. 583. 632. Recte igitur dicit PHIL. MELANCHTHON, in dedic. comm. Fons est confessionis ecclesiarum nostrarum Pauli doctrina. Adde, quæ ex Luthero de doctrina iustificationis collegit B. MAIVS, in theol. Lutb. art. XX. p. 991.

\*† PHIL. MELANCHTHON, in comm. p. 73. Particula gratis excluduntur nostra merita, non meritum filii Dei. Semper autem in conspectu sint hæ quatuor causæ, propter quas necessaria est retineri exclusuam. *Prima*, quæ est principalis, ut debitus honos filio Dei tribuatur, quod sola ipsius obedientia sit pretium & meritum pro peccatis hominum, non ullius hominis opera. *Secunda* cauſa, ut conscientie habeant firmam consolationem; quia, si remissio peccatorum penderet ex nostræ dignitatis conditione, fieret incerta. *Tertia* cauſa, ut possit inuocatio fieri fiducia filii Dei, non fiducia nostrorum meritorum. Donec enim corda fugiunt Deum, & retinent iram & fremitus aduersus eum; non sit vera inuocatio. *Quarta* cauſa, ut sit conspectius discrimin legis & euangelii. Habet lex suas promissiones, sed nequaquam gratuitas, ut dicitur: *Qui fecerit ea, viuet in eis.* At particula gratis

tis propter filium Dei, manifeste discernit euangelium a lege. Hæc simplicissima elementa doctrinæ in ecclesia necesse est omnibus familiariter sine nota esse.

## §. IV.

*Summa capitinis quarti.*

Cum igitur per superiora tria capita docuerit, omnes homines esse peccatores; ad hæc ostenderit, solam fidem in Christum viam esse iustitiae & modum iustificationis: \* mox in cap. IV. respondet quibusdam obiectionibus. Ut plerumque autem, quando docetur Christus seu fides, id est, opera nostra nihil esse, sola fide nos iustificari, protinus quidam iustitiarii obiciunt: Cedo, si sola fides iustificat, ergo a bonis operibus prorsus cessandum, ergo bona opera omittenda sunt.

\* PHIL. MELANCHTHON, in *argumento epistola*, p. 8. Manifestum est, hæc tria membra præcipua esse Paulinæ disputationis. I. Perspicue & sineulla ambiguitate adfirmat, homines non satisfacere legi Dei, nec lege iustos esse, sed omnes reos & sub peccato esse. II. Recipi homines propter mediatorum gratis, qui propter hanc ipsam causam missus sit, ut sit placator, & tollat peccatum & mortem. III. Oportere fide accipi re-

con-

conciliationem, & fide statuendum esse, nos receptos esse, & placere Deo propter mediatorem, nec manendum esse in dubitatione.

## §. V.

*Quo fine Paulus Abrahami exemplum proponat.*

Proponit ergo exemplum Abrahæ. Quid igitur, inquit, dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? id est, an prorsus nihil meruit suis operibus? Concludit autem, Abraham per solam fidem, sine vllis operibus, esse iustificatum. Adeo ut etiam, antequam circumcideretur, scriptura commemo-ret, fidem ipsi reputatam esse ad iusti-tiam,\* Genes. XV, 6. Si ergo opus circumcisio-nis, quod Deus ei præce-pe-rat, pretiosumque opus obedientiæ erat, nihil profuit Abrahæ ad iustitiam: tum certo certius est, nullum etiam aliud opus quicquam prodesse ad iustiti-am. Sed quemadmodum Abrahæ cir-cumcisio externum signum fuit, signa-culum iustitiæ fidei: sic bona opera so-lum externa signa sunt, non quæ ho-minem iustificant, sed quæ hominem intus coram Deo iustificatum, & fidem

N 3

in

in corde viuentem & agentem, ceu signa quædam & fructus, probant.

\* LVTHERVS, tom. IV. Ien, lat. ad Gal. III, 6. f. 74. b. fin. Discant studiosi sacrarum literarum ex hoc dicto: *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam, christianam iustitiam proprie ac diserte sic definire, quod sit fiducia cordis per Christum in Deum, quæ imputatur ad iustitiam propter Christum.* Nam ista duo perficiunt iustitiam christianam. Scilicet fides in corde, quæ est donum diuinitus datum & formaliter credit in Christum. Deinde quod Deus reputat istam imperfectam fidem ad iustitiam perfectam propter Christum, in quem cœpi credere. Propter hanc fidem in Christum non vider Deus dubitationem de voluntate eius erga me, diffidentiam, tristitiam spiritus, & alia peccata, quæ adhuc habeo. Adde, quæ LVTHERVS in hoc dictum commentatus est in aureo comment. in Genesim ad c. XV, 6.

## f. VI.

*Reliquum argumentum capituli quarti exhibetur.*

Per hoc Apostolus, tanquam exemplo grauissimo, suam doctrinam ex scripturis de fide cap. III. traditam, confirmat & adstruit, & præterea adducit eo simul testimonium Dauid Ps. xxxii. qui idem adserit, hominem per imputa-

putationem iustitiae, plane sine operibus, iustificari; quamquam iam per fidem iustificatos opera, ut dictum est, sequantur. Deinde amplificat & dilatat exemplum, contra omnia alia opera legis, & infert, Iudeos non ideo protinus veros esse hæredes Abrahæ, quod genus duxerint a circumcisio Abraham, aut quod legem acceperint, nisi vestigiis ingrediantur fidei, & credentes in Christum imitantur fidem Abrahæ. Præfertim, cum Abraham ante legem, tum Mosis, tum etiam circumcisionis, per solam fidem iustificatus sit, & pater multarum gentium, id est omnium credentium, vocatus. Postremo sic concludit: Cum lex non possit dare illam vim in corda, qua implatur sponte & hilariter: tum, manente in corde, & per legem excitato illo fremitu naturæ, indignantis legem sibi esse latam, manente illo odio contra legem & legislatorem Deum: non possunt opera legis placere Deo. Imo cum proficiunt ex corde auersante legem & Deum: nihil quam peccata sunt, semperque concitant indignatio-

nem Dei.\* Proinde sola fides benedictionem & gratiam Abrahæ promissam impetrat. Non enim scripta sunt propter Abraham tantum, sed etiam propter nos, ut in fine capit is dicit, ut nobis quoque fides imputetur ad iustitiam.

\* LUTHERVS, in comm. in Gal. III, 21. tom. IV.  
Ien. lat. f. 106. b. Paulus significat his verbis, nullam simpliciter legem posse vivificare, sed tantum occidere. Ergo mea opera, quæ (extra statum gratiæ) secundum legem Dei facio, non iustificant me coram Deo, sed peccatorem constituunt: non placant iram Dei, sed irritant: non consequuntur iustitiam, sed tollunt eam: non vivificant, sed mortificant me. - Extra causam iustificationis nemo potest bona opera, a Deo præcepta, satis magnifice commendare. Quis enim vnius operis, quod christianus ex fide & in fide facit, utilitatem & fructum satis prædicare potest? Est enim pretiosius, quam cælum & terra. - Opera vero extra fidem facta, ut maxime in speciem sancta videntur, sub peccato & maledicto sunt. Gal. III, 10. Quare tantum abest, ut ea facientes mereantur gratiam, iustitiam, & vitam æternam, ut potius peccatum peccato addant.

### §. VII.

*Priore parte capit is quinti fructus fidei enarrantur.*

*Capite quinto tractat de operibus &*

& fructibus fidei, vt sunt pax, gaudium conscientiæ, charitas erga Deum & proximum, virilis & animosa fiducia, & fortis perseverantia in tribulationibus. Nam hi protinus fructus sequuntur, vbiunque est in corde fides. Eminentissima illa opulentia gratiæ Dei, exhibita nobis in Christo, quem dedit pro nobis in mortem, cum adhuc infirmi essemus, adeoque hostes Dei, (modo per fidem in corde sit cognita) non potest non accendere nos, & fortis animososque reddere, vt lubentissime, alacriter & ardenter faciamus omnia, quæ huic clementissimo Patri placere scimus. \* Perstat ergo sententia & scopus huius epistolæ: Sola fide nos sine ullis operibus iustificari, & tamen ideo bona opera non damnari. \*\* Nam opera vere bona & fructus illi boni fidem comitantur, & vbiunque fides est, non potest non operari, quemadmodum flamma non potest non lucem spargere. De illis ergo vere bonis operibus iustitiae illi, qui nihil aliud crepant, quam opera, opera, opera! nihil prorsus norunt; sed ipsi sibi frigida

N 5

quæ-

quædam opera fixerunt, quæ, cum nemicam quidem habeant fidei, aliena sunt prorsus ab omnibus affectibus spiritualibus, gaudio, pace conscientiæ, fiducia illa animosa, & plâne putris arbitris putres sunt fructus.

\* LVTHERVs, in *libello de libert. christiana*, §. LVI. seq. ed. ven. D. ANTONII. Christianus ita cogitat: En mihi indigno damnatoque homuncioni, citra omne meritum, mera immeritaque misericordia, dedit Deus meus in Christo omnes diuitias iustitiae & salutis, ut amplius nulla re prorsus indigeam, nisi fide, quæ credat, hoc se sic habere. Huic ergo tali patri, qui me suis his inæstimabilibus diuitiis obruit, cur non liberaliter, hilariter, toto corde, spontaneoque studio omnia faciam, quæcumque scilero placita & grata coram illo esse? Vide etiam *infra* §. XIX. XX. & *supra* scđt. I. §. X. XVIII. XIX.

\*\* *Libri symb. p. 95.* Sunt facienda opera propter mandatum Dei, item ad exercendam fidem, item propter confessionem & gratiarum actionem. Propter hæc caussas necessario debent bona opera fieri, quæ quamquam fiunt in carne, nondum prorsus renouata, quæ retardat motus spiritus sancti, & adsperrgit aliquid de sua immunditie; tamen propter fidem sunt opera sancta, diuina sacrificia, & politia Christi, regnum suum ostendentis coram hoc mundo. LVTHERVs tom. IV. Jen. lat. f. 44. b.: Postquam fidem in Christum sic docui-

docuimus, docemus etiam bona opera. Quia adprehendisti fide Christum, per quem iustus es, incipe nunc bene operari, dilige Deum & proximum, inuoca, gratias age, prædica, lauda, confite te Deum, benefac & serui proximo, fac officium tuum. Hæc vere sunt bona opera, quæ fluunt ex ista fide (*vid. §. XIX.*) & hilaritate cordis concepta, quod gratis habemus remissionem peccatorum per Christum. Quidquid postea crucis & passionum tolerandum venit, toleratur suauiter. Nam iugum, quod Christus imponit, suave, & onus eius leue est. Remisso enim peccato, & conscientia liberata ab onere & morsu peccati, Christianus omnia facile ferre potest. Quia in eis omnia sunt suavia & dulcia, ideo omnia voluntens facit & patitur.

## §. VIII.

*Parte posteriore comparatio Adami primi & secundi proponitur.*

Sub hæc facit amœnam digressio nem, & ostendit, vndenam tam peccatum quam iustitia, tum mors tum vita in nos propagentur. Et ibi duos illos comparat, Adam & Christum.\* Sic igitur argumentatur: Ideo necesse fuit Christum mitti, qui suam iustitiam nostram faceret, & in nos transmitteret per nouam regenerationem in

in fide & spiritu, quemadmodum vetus in nos propagauit & transmittit peccatum, per veterem illam generationem secundum carnem. Per hoc iterum efficaciter adstruitur, neminem suis viribus posse a peccato liberare se ipsum aut iustificare. Neque enim liberum aut in nobis fuit, ex vetere Adam aut secundum carnem nasci vel non nasci, id quod aliis argumentis satiis clarum est. Nam si lex Dei, quæ certe (si quicquam usque debebat conducere ad iustitiam) non modo non iustificat, sed etiam excitans fremitum naturæ stomachantis & indignantis, auget peccatum, \*\* & quo magis premit, eo magis naturæ in vetitum nitentis peccatum excitat: tum ergo quo penitus lex cognoscitur, eo plus miseriae in nobis esse videmus, & eo magis opus habere Christo.

\* Scilicet inter Adamum & Christum est,

I. PARITAS, quæ in eo consistit,

1. quod uterque verus est homo.

2. quod uterque caput foederale & radix suæ stirpis.

3. quod uterque multis aliquid confert.

II. DISPARITAS, quæ consistit

I. In

1. *In persona* vtriusque Adami, nam  
*primus* est nudus homo v. 12.  
*secundus*, Deus & homo, dominus no-  
 ster v. 21.
  2. *In eo, quod conferunt:*  
*primus* conferit peccatum, reatum & mor-  
 tem, v. 12. 18.  
*secundus*, gratiam Dei, iustitiam, vitam,  
 v. 15. 16. 17. 18.
  3. *In merito*, per quod conferunt:  
*primus* per suum παράνθωμα & παρα-  
 κονήν, v. 18. 19.  
*secundus* per suum διδαίωμα & ὑπακοὴν,  
 v. 18. 19.
  4. *In subiectis*, quibus conferunt:  
*primus*, omnibus hominibus ex ipso na-  
 tis, v. 12. 18.  
*secundus*, omnibus ex ipso renatis, ac fi-  
 de gratiae donum recipientibus, v. 17.
  5. *In modo*, quo conferunt:  
*primus*, per participationem naturalem  
 culpe & reatus, v. 12. 19.  
*secundus*, per χάρισμα & gratuitam do-  
 nationem, v. 15. 17.
  6. *In fine collationis:*  
*primus* confert peccatum eis κατάκριμα,  
 v. 16.  
*secundus* confert suum meritum eis δι-  
 καιώσιν ζωῆς, v. 18.
- \*\* PHIL. MELANCHTHON, in comment. p. 123.  
*Quia*

Quia conscientia accusata lege fugit<sup>1</sup> Deum, & in illis horrendis doloribus magis irascitur Deo, peccatum sit multo atrocius, & sit multorum horribilium peccatorum confusio, qua ruit homo in aeternum exitium, ut in Saul & Iuda conspicitur. Dignæ etiam sunt, quæ de hac re legantur, positiones beati viri, HENRICI A SVDPHEN, in flore ætatis, euangelii prædicati caussa, in Dithmarsia anno MDXXIV. monachorum instinctu miserabiliter combusti. Reuocavit illas in lucem M. David Ebersbach, sub tit. Das Glaubens-Bekäntniß des seligen Märtyrers, Heinrichs von Sudphen, Evangelistens zu Antwerpen, Bremen und Meldorf in Ditmarschen, Hamburg, 1713. vbi p. 28. inter alia hæc leguntur: Das Gebot macht ja keine Sünde, es gebietet gantz gute Dinge; die Schuld ist allein an uns, daß wir so vergiftet sind, daß wir das gute nicht können vollbringen; dadurch muß denn folgen ein heimlicher Hass und Neid gegen Gott und seine Gebote. Denn wir wären stets lieber ungestrungen, als gezwungen. Davon haben wir ein Gleichniß an der Sonne. Die Sonne macht ja keinen Geßlanck, sondern sie macht alle Dinge lustig und anmuthig; aber einem todten Aſſe ist sie um seiner bösen Natur willen eine Reitzung zum Stanke. Man kann noch ein ander Gleichniß vom Wasser und Kalcke geben. Das Wasser ist immer so geartet, daß es alle Hitze kühlet; doch wenn man heißen Kalck damit begießet, so macht es ihn erst recht rasend und brennend. Und so ist Paulus zu verstehen, wenn

Wenn er Röm. IV, 15. sagt: Das Gesetz rächtet nur Zorn an; und Rom. V, 20. Das Gebot ist neben einem kommen, auf dass die Sünde mächtiger würde,

## §. IX.

*Sexto capite præcipuum opus fidei, mortificatio carnis, traditur.*

*Sexto capite tractat summum illud & præcipuum opus fidei, colluctationem carnis & spiritus. Semper enim caro pugnat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, \* quo subinde supprimitur & occiduntur in nobis desideria carnis & reliquiae peccati, quæ post iustificationem in nobis manent. Et hoc capite docet Apostolus: Non sic nos iustificari & per fidem a peccato liberari, ut prorsus a nobis aboleatur peccatum: sed reliquiae peccati in nobis manent, \*\* ceterum non imputantur propter fidem, subinde cum desideriis carnis colluctantem. Proinde, interim dum in carne viuimus, ea pugna durat in nobis, satisque negotii est iustificatis, satisque habent ibi per omnem vitam, vbi fudent satis, ut carnem suam doment, desideria eius coarceant, & spiritui subiiciant. \*\*\* Et per*

per eam mortificationem carnis & no-  
vitatem vitæ spiritualis exprimimus  
mortem & resurrectionem Christi, si-  
gnumque illud mortificationis bapti-  
smi, quod nihil aliud, quam mortifica-  
tionem hanc continuam carnis & viui-  
ficationem spiritus significat. Tamdiu  
enim operatur in nobis baptismus, id  
est, hæc mortificatio, donec prorsus  
per mortem corporis abolito peccato  
in corpore, cum Christo resurgamus &  
regnemus.

\* Conf. LVTHERI comm. in Gal. tom. IV. Ien. lat.  
f. 169. seqq.

\*\* Ita ipsi patres concilii Trid. sess. V. de pecc.  
orig. can. 5. p. 31. ed. Hall. Manere in baptizatis  
concupiscentiam vel somitem, s. Synodus fatetur &  
sentit; que quum ad agonem relicta sit, nocere non  
consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gra-  
tiam repugnantibus, non valet. Nihilominus in  
eodem canone anathematis fulmen imprudentis-  
sime vibrant in eos, qui asserunt per gratiam Iesio  
Christi, que in baptismate confertur, non tolli to-  
tum id, quod veram & propriam peccati rationem  
habet, sed illud tantum non imputari: vti hic LV-  
THERVS scripsit: reliquæ peccati in nobis manent,  
ceterum non imputantur propter fidem: qua in re  
præeuntem habuit AVGVSTINVM, qui ait: Peccatum  
in baptismo remittitur, non, vt non sit, sed vt non  
imput-

*imputetur.* Sed conf. libr. symb. p. 56, & quæ ad concil. Trid. adnotauit venerandus PAVLVS ANTONIVS, p. 32. seqq.

\*\*\* LVTHERVs de libert. christiana §. XLII. Inferior homo, conformis Deo, & ad imaginem Dei creatus, per fidem & gaudet & iucundatur propter Christum, in quo tanta sibi collata sunt bona. Hoc dum agit, ecce in carne propria offendit voluntatem contrariam, quæ mundo seruire, & quæ rere, quæ sua sunt, nititur. Id quod spiritus fidei ferre non potest, neque valet: & adgreditur hilari studio, ad opprimendam & coercendam eam. - Heic iam incipiunt opera, heic non est otium, heic certe curandum, ut corpus ieiuniis, vigiliis, laboribus, aliisque disciplinis moderatis exerceatur, & spiritui subdatur, ut homini interiori & fidei obediat.

## §. X.

*Cuius rei possibilitas ostenditur.*

Atque hoc, nempe ut carnem continuo mortificemus, possumus prætare, quia non sumus sub lege, sed sub gratia. Quid autem sit, *non esse sub lege*, exponit. Nam non esse sub lege, non sic intelligendum est, quasi licet facere quidvis; sed non esse sub lege, est; corda nostra sic esse nouata spiritu per fidem, ut ultra & sponte ea facere libeat, quæ lex vult, etiam si nulla esset lex.\*

O  
Gra-

98

Gratia enim imbuit nos amore legis.  
Proinde iustificati non habemus amplius legem contra nos, sed consentientem nobis. \*\* Sub lege autem esse, est sine gratia operari, & non posse implere legem: vbi non potest non esse peccatum.

\* LVTHERV in Gal. V, 23. tom. IV. Ien. lat. f. 176. b. Est quidem lex, sed iusto non est posta. 1 Tim. I, 9. Sic enim iustus vivit, ut nulla lege opus habeat, quæ eum admoneat, urget & cogat; sed sineulla coactione legis sponte facit, quæ lex exigit; ideo lex non potest accusare, & eos agere credentes in Christum, nec eorum conscientias perturbare. Terret quidem & accusat, sed Christus fide adprehensus abigit eam cum suis terroribus & minis. Non habet igitur lex ius accusandi eos, sponte enim faciunt, quod lex requirit. Fide enim Spiritum Sanctum conceperunt, qui non sinit eos esse otiosos. Si caro resistit; ambulant spiritu. cert.

\*\* LVTHERV in Gal. V, 18. tom. IV. Ien. f. 171. a. Pii non sunt sub lege, scilicet spiritu. Lex enim non potest accusare & ferre sententiam mortis contra eos, etiamsi ipsi peccatum sentiant, & fateantur, se peccatores esse. Quia ipsis ademnum est legi per Christum, qui factus est sub legem, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Hec iustitia nostra, Christus, quem fide adprehendimus, irreprehensibilis est, ideo a lego

ge non potest accusari. Donec igitur in illo hæremus, spiritu ducimur, & a deo liberi sumus. Adde, quæ commentatur in verba Galat. II, 19. Legi mortuus sum, ut Deo viuam; tom. IV. Ien. f. 52. seqq.

## §. XI.

Hinc usque ad finem capitinis sexti de libertate a lege & peccato differit.

Atque hæc demum est vera *libertas a lege & peccato*, de qua Apostolus usque ad finem capitinis differit. Est vero libertas eiusmodi, ut sponte ex animo libeat facere bonum, citra ullam exactiōnem legis. Proinde libertas est spiritualis, quæ non legem tollit, sed impertit vim & spiritum implendæ legis, nempe cor hilare, & propensam voluntatem & ardorem bene operandi, quo legi tum satisfit, ut non habeat quod exigat aut urget. Hanc secus atque si creditor alicui deberes ingentem vim pecuniae; huic duplicem in modum posses satisfacere: primo gratuita remissione debiti & abolitione chirographi; secundo fideiussione alterius, in se totum illud æs alienum suscipiens, & chirographum hac fideiussione

O 2

pro

pro te abolentis. In hunc modum Christus liberauit nos a lege, tanquam a creditore. Proinde libertas illa non est carnalis, cui facere liceat quiduis, sed quæ negotiosa plane sit, & sponte faciat opera vere bona, vt non opus sit ylla exactione legis.\*

\* LVTHERVUS, in libello de *libertate christiana*, §. LXXII. ed. ven. ANTONII. Non liberi sumus per fidem Christi ab operibus, sed ab opinionibus operum, i. e. a stulta præsumptione iustificationis per opera quæsitæ. Et §. XVI. Quod si christianus operibus non haber opus ad sui iustificationem, nec lege opus habet. Si lege non haber opus, certe liber est a lege, verumque est: *Iusto non est lex posita*. Atque haec est christiana illa libertas, fides nostra, que facit, non ut otiosi simus, aut male viuamus, sed ne cuiquam opus sit lege, aut operibus ad iustitiam & salutem. Sed legi mereatur totus ille Lutheri libellus, in quo duas hasce propositiones tractat: *Christianus homo omnium dominus est liberrimus, nulli subiectus*. Et *Christianus homo omnium seruus est officiosissimus, omnibus subiectus*.

§. XII.  
Quæ res capite septimo similitudine quadam illustratur.

Capite septimo confirmat hoc similitu-

litudine quadam coniugum. Nam haud fecus atque mulier, si vir eius moriatur, libera est a lege viri, non quidem sic libera, ne alteri possit nubere, imo potius e contrario nunc primum vere libera est, *vt possit nubere alteri,\** quod antequam libera esset a priori marito, non poterat: Sic & conscientia nostra est obnoxia legi, viuente in nobis veteri Adamo. Hic quando mortificatur per spiritum, vtrinque est libertas, haud fecus atque inter coniuges, *vt dixi.* At conscientia non sic est libera, *vt nihil* prorsus operum nunc faciat, sed sic, *vt* nunc primum adhæreat alteri, nempe Christo, & fructificet Deo.

\* De hoc coniugio cum Christo egregie differit LUTHERVS, de *libert. christ.* §. XXI. edit. ven. ANTONII. Tertia fidei gratia incomparabilis hæc est, quod animam copulat cum Christo, sicut sponsam cum sponso, quo sacramento, ut apostolus docet, Christus & anima efficiuntur una caro. Quod si vna caro sunt, verum inter eos matrimonium, immo omnium longe perfectissimum consummatur; (quum humana matrimonia huius vni figurae sint tenues) sequitur & omnia eorum communia fieri, tam mala, quam bona; ut, quæcumque Christus habet, de iis

Tanquam suis presumere & gloriari possit fidelis anima, & quæcumque animæ sunt, ea sibi arroget Christus tamquam sua. Conferamus ista, & videbimus inestimabilia. Christus plenus est gratia, vita, & salute; anima plena est peccatis, morte & damnatione. Intercedat iam *fides*, & fieri, ut Christi sint peccata, mors & infernus: animæ vero gratia, vita & salus. Hic iam dulcissimum spectaculum prodit, non solum communionis, sed salutaris belli & victoriae. Peccatum enim, mors & infernus quum Christum absorbere non possent, necessario in ipso absorpta sunt stupendo duello. Nam iustitia eius omnium peccatis superior, vita eius omni morte potentior, salus eius omni inferno invictior. Ita fit anima fidelis per arrham fidei suæ in Christo sponso suo omnibus peccatis libera, a morte secura, & ab inferno tuta, donata æternæ iustitia, vita & salute sponsi sui Christi. -- Iam dicere sponsa potest: si ego peccauī, at Christus meus non peccauit, in quem credo, cuius omnia mea sunt, & omnia mea illius, cert. Adde B. Viri duas conciones Dom. XX. Trin. in der Kirchen-Poßtill, ed. Speneri.

## §. XIII.

*Deinde natura peccati & legis latius explicatur.*

Sub hæc latius explicat naturam peccati & legis, ostendens, legem virtutem

tutem esse & potentiam peccati. Nam vetus Adam seu natura, quo magis premitur lege, quam ex suis viribus implere nequit, eo magis fremit & indignatur contra. \* Neque enim aliud potest ex se se quam peccare. Proinde lex est ei pœna & mors. Non quidem, quod lex mala sit, sed vitio naturæ hoc sit, quæ indignatur, bonum, quod implere nequit, a se exigi. Haud aliter atque valetudinarius indignatur, opera & robur a se requiri integri & sani aut robusti hominis. Proinde hic infert Paulus: Legem, quo penitus & exactius cognoscitur, nihil aliud in nobis operari, nisi ut peccatum ostendat & augeat, per ea occidat, & reos æternæ mortis & iræ Dei agat; quemadmodum hac de re nemo melius differuit, quam cuius conscientia legis terrorem & quasfationem illam fundamentorum terræ experta sit, \*\* & aliquando tumultuantem in corde senserit. Opus igitur est vi quadam efficaciore & potentiore in corde, quam lex sit, ad hoc, ut vere iustificemur. Qui vero legem sic non cognouerunt, hi prorsus cœci sunt, &

fiducia quadam périculosa ambulant, putantes operibus se impleturos legem; \*\*\* non videntes, eam imperiose requirere totum cor, totosque affectus. Quare hi in finem legis non vident: solum contemplantur tectam faciem Mosis, sine gratia, perpetuo in vanis suis operibus perituri.

\* Vide not. ad §. IX.

\*\* *Libri symb. p. 17.* Quamquam hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experientur piae ac pauidæ conscientiæ, plurimum eam consolationis adferre; quia conscientiæ non possunt reddi tranquillæ per villa opera, sed tantum fide, quum certo statuunt, se propter Christum habere placarum Deum. Tota hæc doctrina ad illud certamen perterrefacta conscientiæ referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest.

*¶ LVTHERVS, tom. IV. len. lar. fol. 83. a.*  
 Maledicta *hypocris*is non vult benedictione diuina iustificari, nec formari a Deo creatore; non vult esse mareria mere passiva, sed actite ea operari, quæ ipsa patiendo debebat Deum sinere operari, & ab eo accipere. Itaque facit seipsum creatorem & iustificatricem per opera sua, adspersans benedictionem promissam & datam Abrahæ & filiis eius credentibus. Sic quilibet hypocrita final est materia & operator, creature, & creator. Quare nemo potest verbis consequi, quam horribilis

ribilis & execranda res sit, querere iustitiam extra benedictionem in lege & operibus.

## S. XIV.

*Et lucta carnis atque spiritus in iustificatis describitur.*

Sub hæc ostendit, quomodo caro & spiritus in uno & eodem homine inter se certent & luctentur, & exhibet nobis exemplum, quantumuis sit iustificatus, seipsum, \* ut mortificationem hanc reliquarum peccati discamus. Vocat autem vtrumque, tum spiritum, tum etiam carnem, legem quandam. *Invenio*, inquit, *legem in membris meis repugnantem &c.* Nam haud secus atque lex Dei vrget, impellit, & exigit a nobis fieri, quæ vult Deus: Sic lex membrorum seu carnis impellit contra spiritum ad carnalia. Contra, spiritus adversus carnem potenter nititur; & agit ac impellit ad spiritualia. Atque hæc lucta durat, quamdiu sumus in hac carne, in hoc potentius, in illo remissius & languidius, secundum quod spiritus aut caro in homine est fortior, & tamen unus & idem homo est illa caro & spiritus, qui secum sic luctatur, dum

O 5

pror-

prorsus abolito peccato fiat spiritua-  
lis.

\* Non satis conuenit inter interpretes, quod-  
nam statuendum sit *subiectum* pericopæ c. VII, 14-  
ad fin. Sunt 1) qui Paulum *de irrogenitis* loqui  
existimant, quorum personam, quum haec scribe-  
ret, honesta quadam fictione induerit. Ita statu-  
unt SOCINI atque ARMINII aseckæ; eidemque sen-  
tentiae olim præter ORIGINEM addictus fuit HIERO-  
NYMVS & AVGUSTINVS, qui tamen deinceps, quum  
hoc caput in certamine cum Pelagio rectius per-  
pendissent, non erubuerint, sententiam illam re-  
tractare. Plerique 2) Paulum de se tamquam *rege-  
nitus* loqui, adeoque in sua persona regenitorum im-  
perfectionem & luctam cum inhabitante peccato  
describere iudicant. Alii denique 3) neque de  
prorsus irrogenitis, neque de prorsus regenitis ex-  
ponunt, sed de iis, qui *in lucta pénitentia sub gra-  
tia præparante versantur*, & ad statum gratia ad-  
spirant, Paulum loqui censem. Ita IVSTVS CHRISTO-  
PHORVS SCHOMERVVS theologus Rostochiensis docti-  
simus, *in exegesi epistolarum ad Rom. & Cor. p. 33.*  
Itaque media quedam via eligenda est, quam decur-  
sus orationis Paulinae & datum *χεῖρα dispositionis*  
*postulat*, quod nempe Paulus agat de iis, qui conci-  
one legali ad contritionem efficaciter concitantur,  
non de pure irrogenitis, qui *in diem viiunt*, nec de  
iam regenitis, qui *Spiritus Sancti euangelico solatio  
fruuntur*, sed de illis, in quibus Spiritus Sanctus ad  
conuersationem incipit operari, qui, *quamdiu solam*  
*legem*

*legem audiunt, ad agnitionem quidem peccati, siue  
displacentiam veniunt, ut cupiant meliores esse, non  
tamen ad emendationem sui eniti possunt, sed maxi-  
mis angoribus prostrati iacent. Meminit eiusdem  
sententiae PHIL. IAC. SPENERVS, in der Rettung der  
Sprüche heiliger Schrift, die zur Sicherheit gemis-  
braucht werden, p. 255. Aliorum tamen examini  
adcuratori eam relinquir, & in communi interpre-  
tatione adquiescit.*

Atque ad *primam* quidem sententiam quod atti-  
net, quæ patronis naturæ mirum in modum arrideret,  
merito illa exploditur. Quamuis enim ei fauere vi-  
deantur verba com. 14. *ego sum carnalis, venditus  
sub peccatum* ( quæ de aperte impiis leguntur 1 Reg.  
XXI, 20. 25. 2 Reg. XVII, 17. 1 Macc. I, 15. ) nimis ta-  
men vires naturæ, ad extremam sane *aduertitav* in  
rebus spiritualibus redactas, extollunt, qui homini  
irregenito internam delectationem ex lege Dei, ni-  
sum ad bonum, naturali corruptioni reluctantem,  
sincerum liberationis desiderium, & similes gratiæ  
diuinæ effectus, adscribere haud verentur. *Secunda*  
& *tertia* sententia de palma inter se certant. *Tertia*  
id habet commodi, quod eiusmodi subiectum con-  
stituat, cui prædicata omnia facillimo negotio apta-  
ri possunt, quod beneficium illis, qui hanc hypo-  
thesin amplectuntur, (†) non est inuidendum. Se-  
cunda tamen, qua Paulus *de se ipso* suoque statu præ-  
senti loqui putatur, placuit beato LUTHERO; cui fa-  
vet

(†) Amplexus est eam ven. *Apostolischen Licht und  
Socer*, IOACH. LANGIVS, im *Recht, Part. I. p. 88.*

ver 1) quod constanter verbum primæ personæ a Paulo usurpatur, εἰμὶ κατεργάζομαι, ποιῶ, πράσσω.  
 2) quod verbo primæ personæ frēquenter pronomen  
 primæ personæ ἐμφατικῶς adiicitur: ἐγώ σαρκί-  
 οῦς εἰμι, v. 14. ἐγώ κατεργάζομαι, v. 17. ἐγώ ποιῶ,  
 v. 18. ἐγώ δελέυω, v. 25. 3) quod duo pronomina in-  
 signi & singulari cum emphasi coniunguntur, v. 25.  
 αὐτὸς ἐγώ, idem ego, qui carne obnoxius sum legi  
 peccati, mente seruo legi Dei. 4) quod in hac peri-  
 copa Paulus perpetuo in praesenti tempore loquitur,  
 huncque suum praesentem statum a statu præterito  
 v. 7. sqq. clare distinguit. Nimirum quemadmodum  
 Paulus a v. 7-13. Iudæis in suo exemplo ostenderat,  
 quantam vim peccatum in homine, sub lege consti-  
 tuto, exserat; ita a v. 14 - ad fin. similiter in suo ex-  
 emplo ostendit, quantos motus & tumultus pecca-  
 tum edat in homine sub gratia constituto, gratia in-  
 terim de omnibus peccati inhabitantis motibus  
 triumphante. Paulum vero in hac pericopa *de se*,  
*tanquam homine regenito & sub gratia constituto*,  
*loqui*, id sequenti argumento confici posse viderur.  
*Quicumque I. bonum vult, malum odit aut iniurias*  
*committit, legem vero Dei approbat, eademque inti-*  
*me delectatur, v. 15. 16. 19. 22. II. spiritum atque interi-*  
*orem hominem sibi attribuit, atque mente se legi Dei*  
*seruire testatur, v. 17. 20. 22. III. lucretiam carnis & spiri-*  
*tus sentit, v. 23. IV. peccati in se habitantis grauita-*  
*tem deplorat, seque ab illo liberari serio optat, v. 24.*  
*V. gratiarum actionem pro liberatione a dominio*  
*peccati instituit, v. 25. is utique homo renatus & sub*  
gra-

*gratia constitutus est. Atqui Paulus hec omnia de se confitetur. Ergo. Ceterum hanc explicationem nullum prorsus subministrare securitati nutrientum, pluribus commonstravit b. SPENERVS loc. cit. p. 258. sqq. & in theol. deutischen Bedenken part. I. p. 167. 544.*

Quæcumque statui regenerationis parum conuenire videntur, commoda explicatione facile emolliiri possunt. Ut quando Paulus, ex Deo regenitus, se carnalem appellat, id 1) facit in comparatione cum lege spirituali. Ὅρμος, inquit, πνευματικός εἰσιν, h. e. requirit, ut totus homo sit spiritualis, & nulla prorsus corruptionis labo infectus (vid. supra sect. I. §. VIII.) ἐγὼ δὲ σαρκίνος εἰμι. Ego vero labo naturalis corruptionis adhuc infectus sum, & peccatum habeo. 2) non respectu sui totius, sed tantum respectu partis alicuius, & quidem indignioris. Vnde in sequentibus aliud quid sibi tribuit, carni contrarium. Aliud igitur est, esse ἐν σαρκὶ, h. e. sub dominio corruptæ naturæ, quod cum statu regenerationis consistere nequit, coll. c. VII, 5. c. VIII, 9. Aliud, esse, σαρκίνος, h. e. aliquid adhuc carnis & corruptionis habere; id quod omnino cum statu regenerationis consistere potest. Regeneratio enim non posita est in abolitione carnis; sed in productione noui principii, quod carni contrarium est; quæ deinde principia perpernis pugnis inter se congreguntur, & se mutuo destruere conantur; ubi tamen spiritus, cuius principium diuinum, præualet, & carnem subiugat vincit. coll. Gal. V, 16. 17. Quum Paulus porro se vocat πεπλαύενος οὐκ ἐσήν αὐθαγίδιος, id

id 1) non absolute intelligendum est. Phrasis enim  
 absolute & in summa emphasi accepta, omnino  
 peccati mancipium designat. Simile tantum hoc lo-  
 co a mancipientibus dictum est, quae iniuiti sunt sub alius  
 potestate, mallentque liberi esse, quam seruire. Dein-  
 de 2) probe notandum esse, participium *passuum*,  
~~πεπραμένος~~, a Paulo adhiberi. *Venditum esse sub*  
*peccato*, conuenit & regenitis & irregenitis; sed dif-  
 ferentia est in vendente. *Sceleratissimi venditi sunt*,  
 non tantum ab alio, sed etiam a semet ipsis. *Regenit*  
 tantum ab alio; non a semet ipsis. Omnibus com-  
 mune est, venditum esse ab alio, scilicet ab Adamo,  
 qui dum se vendidit sub peccatum & potestatem di-  
 aboli, omnes posteros & heredes suos in eandem  
 conditionem coniecit; quemadmodum mancipii  
 proles verna est. Haec ergo venditio pios etiam sub-  
 iecit seruituti corruptionis, quam tamen agnoscunt  
 & deplorant, suspirantque ad libertatem. Irregeniti  
 vero insuper semetipos ad voluntariam seruitutem  
 vendunt, ut Achab 1 Reg. XXI, 20. 25. & decem tribus  
 Israël 2 Reg. XVII, 17. de quibus in textu ebr. in *Hith-*  
*pael* dicitur, *quod sese vendiderint ac sponte manci-*  
*pauerint ad male agendum*. Venditio igitur regen-  
 torum est mere passiva, & seruitus eorum naturalis  
 & calamitosa, quam veris lacrimis deplorant. Ven-  
 ditio contra irregenitorum simul est activa, & serui-  
 tus eorum est voluntaria, vnde peccato cum volu-  
 pte seruiunt, omnesq; peccandi occasionses auide  
 captant. *Quis hic non ingens discriminem rerum toto*  
*cælo distantium agnoscit?* Hoc modo sublata maxi-  
 ma

ma difficultate, quæ Lutheri sententiam premere videbatur, reliquæ facile euanescent.

Pluribus vero mentem suam de hac Pauli peri-copa LUTHERVS declarauit in refutatione LATOMI, tom. II. Ien. lat. f. 407. seqq. (ed. 1600.) vbi singula commata dextre exponit: quam disputationem in compendium contraxit IO. HENR. MAIVS, in *theologia Lutheri p. 110. fqq.* Ibi inter alia: Carnalem se dicit, non quia totus est carnalis: sed mente est spiritualis, naturæ virtus carnalis; sicut mente liber a peccato; carne venundatus sub peccato. Vnus est homo Paulus, qui utrumque de se constiteret, alio & alio respectu. Sub gratia est spiritualis, sed sub lege carnalis. Quum ait: Condelector legi Dei secundum interiorum hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis; clarissime se se explicat. Delectari enim in lege Dei, non est, nisi pii & iusti hominis; nec repugnat legi membrorum, qui eiuslbus non est. Legem autem mentis vocat voluntatem spiritus, qui legi Dei condelectatur: cui opponit legem membrorum, quæ condelectatur legi peccati, ut sit lex membrorum voluntas contraria voluntati spiritus. Hanc non solum non obedire, sed repugnare dicit, ne parum estimes peccatum relatum baptismu. Magnum est, & magno dono Dei tollitur, & magna gratia ignoratur, propter spiritum, qui non repugnat, sed delectatur legi Dei. Illud ultimum vero atrocium, quod captiuat. Vide quæso, quantis verbis molibus & utribus id peccati exaggeret,

quod

quod illi sic extenuant & tollunt. Non solum est, non  
 solum vivit, non solum vult, non solum operatur,  
 non solum repugnat, sed etiam surit & captiuat. Obscuro  
 hac leuia sunt? Et quis non sentit ita in se fieri? Quis  
 non furiosas libidinis, irae, superbiae, ceterae cogitationes  
 & motus sensit & inquam, quantumlibet inuitus & no-  
 lens? Indomitus est furor eius, immo quod mireris, in  
 impiis non sic surit, quia non sustinent eius impetum,  
 sed cedunt & obediunt ei: ideo nunquam experium-  
 tur, quantus labor, quanta molestia sit, peccato relucta-  
 ri, & ei dominari. Captiuare autem dicitur, non quod  
 spiritualis homo captiuetur, sed quod ex parte pecca-  
 ti nihil omittitur, quo captiuetur spiritualis. (αιχ-  
 ναλωτίζει enim est proprie vincula intentare, id-  
 que omni conatu & studio agere, ut alter captiuetur;  
 quamuis id irrito nonnumquam conatu fieri possit.)  
 De verbis v. 24. *In felix ego homo, quis liberabit me de*  
*corpore mortis huius?* haec scribit: Hic odiissimo  
*nomine mortis adpellat peccatum* (ut Pharao locustas  
*mortem adpellabat Exod. X, 17.) propter importunos,  
*improbos, incessabiles, indomitosque furores eius,* per  
*quos nobis in hac vita non permittit pacem habere,*  
*sed continuo in acie stare cogit.* Hinc Paulus optat li-  
*berari ab isto corpore.* Hoc verbum impius non dicit,  
*aut si dicit, non bac causa dicit, quod cum peccatum*  
*nimis molestaret.* Vides ergo hunc locum sanctissimis  
*conuenire, eosque pati peccatum indomitum & furio-*  
*sum, ut discamus Dei gratiam non extenuare, extenua-*  
*tatis nostris malis.* - Concludit Paulus conditionem  
*vita pii hominis in hoc seculo, dicens: Igitur idem*  
ego*

ego mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati, seu, quod idem valet, caro mea seruit peccato. At hoc facit caro, dum repugnat, dum captiuat, dum furit. Sed quia spiritus non obedit, nec vincitur illic furoribus, ideo peccatum non damnat. Seruitus peccati sit inanis, omnes eius conatus frustrantur. Immo ideo meretur caro crucis ignis occidi, ut destinat sic seruire. Ex his specimenibus satis, opinor, constare poterit, quid Lutherus, grauissimam hanc pugnam ipse expertus, de hoc loco Paulino senserit. Consentit cum eo PHIL. MELANCHTHON, in comm. p. 241. In hac narratione describitur certamen, quod est in renatis, in quibus filius Dei voce euangelii accedit lucem, & initia fidei, & spiritus sanctus consolatur cor, ut incipiat letari in Deo, & habeat motus congruentes cum Deo, seu lege Dei. Hæc lux tamen & hi motus diuini impediuntur a nostra carnali natura, in qua multum caliginis est, & contrariorum motuum, sicut minus conspicere potest lumen in laterna obscuriore. cet. Add. libr. symb. p. 91.674.679.703.

## §. XV.

## Summa capitinis octauii.

Capite octauo solatur eos, qui sic cum carne sua luctantur, & ostendit, reliquias peccati non posse nobis nocere, nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant &c.\* Præterea latius ibi explicat naturam carnis & spiritus, ostendens, spiritum

Proprietatescon-

contingere & dari per solum Christum.  
*Qui spiritum Christi*, inquit, *non habet*, hic  
*non est eius*, Item: *Qui aguntur spiritu Dei*,  
*ii sunt filii Dei*. Nam spiritus nouat cor-  
da & spiritualia facit, animatque dulci-  
bus affectibus, & testimonium reddit  
spiritui nostro, qui simus filii Dei.  
Docetque, quantumvis in carne nostra  
peccatum æstuet & saeuiat, si modo assi-  
duo per spiritum carni reluctemur, nos  
habere Deum patrem, & esse filios Dei.  
Quandoquidem autem ad mortifican-  
dum veterem Adam & carnem nihil est  
conducibilis, quam crux & tribulatio-  
tum solatur nos in illis tribulationibus,  
afferens, ipsum spiritum intercedere  
pro nobis gemitibus inenarrabilibus,  
*totamque creaturam mundi*, \*\* sic vanitati  
& abusui subiectam, simul nobiscum  
congemiscere & indolescere, donec abo-  
leatur corpus hoc peccati, & reueletur  
gloria filiorum Dei. Sic videmus hæc  
tria capita nihil æque vrgere, atque hoc  
vnicum & præcipuum opus fidei, nempe  
mortificationem veteris Adæ & carnis.

\* Digna sunt, quæ adscribantur, verba PHIL-  
MELANCHTHONIS, ex comm. p. 143. Quum antea  
dixerit, adhuc hærere peccatum in sanctis in hac  
vita,

vita, *questio* est communis omnium sanctorum, quomodo sint iusti, id est, Deo accepti & haeredites vitae æternæ, quum adhuc sentiant peccata suasque dubitationes, & fateri necesse sit, omnes bonos motus valde languidos esse, timorem Dei, dilectionem, fidem, spem, & interea multas errantes flamas cupiditatum simul esse in cordibus. Huic communi quæstioni omnium sanctorum respondet perspicua adseueratione: *Nullæ nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant.* Et haec est sententia: Iustificati fide placent Deo propter filium mediatorem, & sunt haeredes vite æternæ, etiam si in eis haerent peccata, videlicet vitiosa concupiscentia & praui affectus; si tamen sint in Christo Iesu, & ambulant secundum spiritum, id est, si sit in eis conversione ad Deum, & fides consolans corda agnitio ne filii Dei, que quidem fides est motus spiritus sancti, qui postea gubernat & sanctificat renatos, ut repugnent prauis affectibus. - Non promittit consolationem his, qui sunt sine penitentia, qui securi & furentes perseverant in sceleribus contra conscientiam, de quibus alibi dicitur: *Qui facit peccatum, ex diabolo est; sed de iis inquit, nulla condemnatio est, qui sunt in Christo Iesu & reguntur spiritu sancto.* Nominat duas personas: Christum mediatorem; quia primum oportet conversos agnoscerre Christum fide, & propter hunc propitiatorem accipere remissionem & reconcilia-

tionem, & fieri eius membra. Quum autem agnitione mediatoris & fide eriguntur corda, simul effunditur *spiritus sanctus* in corda, ut tales motus accendat, qualis est ipse.

Ceterum ex Lutheri verbis, quae hic illustramus, satis adparet, quomodo intelligenda sint verba versionis ipsius Rom. VIII, 1. *So ist nun nichts verdammlches cet.* Non enim ibi considerat peccatum in sepe spectatum, sed in relatione ad hominem renatum, in quo propter Christum sententia condemnatoria non datur executioni. LVTHERVS in margine se ipsum hoc modo explicat: *Quamuis peccatum hæreat in carne, tamen non condemnat, eo quod spiritus iustificatus est, & contra peccatum pugnet.*

\*\* Quid de creatura gemebunda LVTHERVS senserit, pluribus cognosci potest ex eius concione in hanc pericopam, quæ legitur in postilla eccles. dom. IV. post Trinitatis. Consentit PHIL. MELANCHTHON, in comm. p. 164. vbi, Secundum, inquit, argumentum patientiae ab exemplo mundi sumum est. Visitus locus est consolationum, proponere exempla similiter adfictorum, quia æqualitas videtur quædam esse iustitia, videlicet ne quis adaptat extraordinaria, & velit frui maioribus commodis, quam alii fortassis digniores. Ita hic argumentatur Paulus: Ferendæ sunt communes miseriæ. Tota enim natura nunc subiecta est corruptioni & abusui impiorum, & gemit nobiscum, sed exspectat liberationem. Ergo & nos feramus partem communium misere-

miseriarum & exspectemus liberationem. In hac *propofopœia* ( qualis etiam occurrit *Ps. LXVIII*, 17. & *XCVI*, 12. & *XCVII*, 8. *Ez. LV*, 12. ) consideremus, quale sit hoc πάθος, & quam dulce argumentum contineat, quando ait, *gemere naturam rerum*. Etsi autem cælum & terra sunt sine sensu, tamen corruptione & horrendi abusus rerum in mundo, sunt tristissima spectacula, & dolor est in sanctis adspicientibus hanc deformitatem, & cogitantibus caussas. Hunc dolorem transfert ad ipsam rerum naturam in hac prosopopœia. Non dolebant muri, profanato templo Hierosolymæ, sed dolebant Maccabæi & alii sancti, videntes hanc tetram deformitatem, contumelias Dei, necesse ciuium, matronarum, puerorum & puellarum exilia, & alias calamitates. - Non tamen perpetuus erit hic abusus. Quia nequaquam existimandus est, hoc pulcherrimum mundi opificium tantum ad illas confusiones in omnem æternitatem conditum esse. LUTHERI sententiam etiam tenent MEISNERVS & DANHAVERVS, in singularibus de hoc arguento disputationibus, nec non VEN. IOACH. LANGIVS, in scripto: *nodus in scirpo*; aliisque.

## §. XVI.

*Quid capite nono, decimo & undecimo  
tractetur.*

Cap. IX. X. & XI. tractat sententiam *prædestinationis*.\* Ex ea enim sola pendent omnia, nempe, qui accepturi sint verbum, qui non, qui credituri, qui

P 3

non,

*non,\*\* qui liberandi a peccato, † qui occēcandi, ‡ qui damnandi & iustificandi sint. Cum igitur & missio euangelizantium & verbum sit ex Deo : Certe in solidus Dei manu situm est, ut iustificemur.\*\*\* Et hæc certe stabilis sententia & immota prædestinationis necessitas summe necessaria est. Tam imbecilles enim sumus, ut, si in nostris manibus situm esset, paucissimi aut nulli saluarentur, diabolus enim omnes vinceret.\*\*\*\* Nunc cum hæc stabilis & certissima dei sententia mutari non possit, nec ab illa creatura conuelli: tum certe spes est nobis reliqua, tandem vincendi peccati, quantumvis etiam nunc in carne fœuiat.*

\* Ita cum Luthero multi veterum senserunt, tradi scilicet his capitibus doctrinam de *prædestinatione*, vel de electione & ei opposita æterna reprobatione. Abierunt vero ab hac sententia grauisimis nostræ ecclesiæ theologi, haud contemnendis rationibus moti. GE. MYLIVS, Professor olim Wittebergensis, in *comment. ad h. l. has adfert rationes.* I. Quia exemplum Ismaelis & Isaaci, v. 7. 8. 9. non agit de prædestinatione æterna, sed tantum de externæ hereditatis & successionis negotio.

II.

† Nempe ii, qui in Christum liberatorem credunt.

‡ Nempe qui Christum pertinaci *christianis* repudiant.

II. Quia oraculum illud diuinum v. 12. ex Gen. XXV,  
23. allatum, itidem non de salute & prædestinatione  
æterna, sed de externa & corporali conditione  
agit. Nec Rebecca & Isaac istud oraculum diuinum  
vnquam de absoluto Dei decreto ad salutem  
aut damnationem æternam acceperunt. Ergo co-  
dem sensu etiam hic a Paulo adducitur. III. Quia  
dictum Malachiae I, 2. quod v. 13. apostolus produ-  
cit, itidem ne verbulo quidem de prædestinationis  
aut salutis negotio agit, sed de fertilitate terræ Israe-  
liticæ & sterilitate terræ Edomiticæ. IV. Quia si  
locus iste primo & simpliciter de electione & re-  
probatione æterna accipiendus esset, sequeretur,  
vtrumque & Ismaelem & Esauum cum tota sua  
posteritate æterne damnationi destinatum fuisse;  
quod nullo modo concedi potest. Iisdem rationi-  
bus contra communem illam sententiam pugnat  
AEG. HVNNIVS, in commentario, Paulum hic agere  
censet de Iudaorum reiectione temporali, eorumque  
exclusione a priuilegiis populi Dei, & gentilium  
contra in eorum locum vocatione. Ut electio in hoc  
capite sit, adoptatio in populum Dei peculiarem;  
reprobatio autem reiectione ab illa gratia temporali,  
vt Iudæi non sint amplius peculiaris Dei populus:  
cuius rei caussas Paulus adsignat. Nos, in ana-  
lysi, quam in introduct. nostra dedimus, caput  
de impedimentis iustificationis in gente Iudaica,  
præeuntibus summis theologis, optime explicari  
posse iudicauimus: qua ratione multæ difficulta-  
tes, circa cap. IX. motæ, sponte exspirant.

P 4

Sed

Sed salua tamen est Lutheri sententia. Nam 1) idem theologi, qui hoc loco doctrinam de electione & reprobatione æterna ex instituto tradi negant, nihilominus concedunt, Paulum hic *incidenter* de prædestinatione aliquam facere mentionem. Sic GEORG. MYLIVS scribit, verba v. II. ut secundum electionem propositum Dei maneret, comparatiue intelligenda esse, & apostolum hisce exemplis historicis digitum quasi obiter in mysterium istud sublime intendere voluisse. 2) Dudum obseruauit beatus SEB. SCHMIDIVS, in notis ad LVTHERI librum *de seruo arbitrio*, adnot. gen. II, n. 4. beatum virum *præscientiam & prædestinationem* tanquam terminis æquipollentibus vti, adeoque vocabulum *prædestinationis* in latiore significatione accipere, ut non in specie significet prædestinationem ad salutem; sed quoduis Dei decretum, sive circa id, quod homini bonum & salutare, sive circa id, quod ipsi molestum est, hoc est, quoduis decretum diuinæ prouidentiæ sive uniuersalis sive specialis, tam circa malum, quam circa bonum occupat.e. Et p. 208. ad verba Lutheri: *Si enim gratia ex proposito seu prædestinatione venit, necesse est venit, non studio & conatu nostro*; hæc SCHMIDIVS adnotat: *Obseruandus æquipollens terminorum usus.* Vnum idemque hic sunt beato viro propositum & prædestinatione Dei: quum alioqui in scriptura distinguantur. Sed ille non solus fecit terminos æquipollentes: faciunt multi quoque ex nostris tribus. Obseruandum & hoc, quod prædestinationis voce, ut suo loco iam monuimus, late utatur, pro quo quis de-

cre-

creto diuino aeterno. Vnde iam est, quod prædestinationem quoque facit gratiæ, ex qua gratia ad nos veniat. Non mirum vero est, quod beatus vir iste hoc modo voce prædestinationis usus sit, quem diu ante ipsum scholastici etiam fecerint prædestinationem ad gratiam, non tantum ad gloriam.

\*\* Pluribus hic iustus IONAS verba Lutheri germanica circumscriptis, que ita habent: In 9. 10. 11. Capitel lebret er von der ewigen Versehung Gottes, daher es uhrspringlich stießet, wer glauben oder nicht glauben soll; von Sünden los, oder nicht los werden kan; damit es ja gar aus unsfern Händen genommen, und in Gottes Hand gestellet sey, dass wir fromm werden. Dum autem verba: wer glauben oder nicht glauben soll, IONAS conscio & adprobante LVTHERO per futurum reddidit: qui credituri, qui non; omnis species detrahitur sententiæ eorum, qui Lutherum cum decretis synodi Dordracenæ prorsus hic consentire contendunt. Ita Vir doctus, qui GILBERTI BVRNETI librum de prædestinatione & gratia ex anglico sermone in latinum transstedit, in præf. §. XXII. Qui B. Lutheri in epistolam ad Romanos præfationem attente, positisque præiudiciis legerit, sistema Dordracenum manifesto inibi deprehendet. Cui dum præiuerat DAV. PARAEVS, in misso ad synodum Dordracenam scripto, quo iudicium suum de quinque remonstrantium articulis exposuerat, ubi ad hæc verba LVTHERI, tamquam suæ sententiæ prorsus consentanea, prouocat. Vide acta syn. Dorad. part. I. p. 216. ed. 1620. in fol. Quod si vero, ut ex

SEB. SCHMIDIO antea obseruauimus, Lutheru[m] prædestinatio, in sensu latiori accepta, idem est ac certa Dei præscientia, præeunte AVG[USTINO] de bono perseverantie c. XIV. cui prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur: nihil sane aliud illis verbis, Iona interprete, dicere voluit Lutheru[m], quam Deum ab aeterno præuidisse atque præsciuisse, quinam homines vires ad credendum, singulis offerendas, (†) accepturi, quinam præfacto animo repudiaturi sint. Eos igitur, quos oblata ad credendum vires acceptaturos esse præuidit, decreuit saluare; eos contra, quos fidem serio oblata repudiaturos esse præscivit, condemnare decreuit; ut docet Christus, consiliorum diuinorum certissimus interpres: *Quisquis crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur; quisquis non crediderit, vel oblata ad credendum vires non acceptauerit, is condemnabitur*, Marc. XVI, 16. coll. Ioh. III, 16. 18. 36. Quidquid enim tanquam caussa impulsu[m] externa in tempore Deum mouet, ut quibusdam salutem aeternam auctu[m] conferat; id ipsum etiam ab aeterno, tamquam caussa impulsu[m] externa, Deum mouit, ut eis salutem conferre decreuerit,

vel

(†) Secundum illud Pauli Act. XVII, 31. πίστιν παρεχόμενην πάσι. Fides igitur omnibus offertur, sed non omnibus confertur. Non

ex absoluto aliquo decreto; sed quia gratiam, ad credendum omnibus oblatam, non omnes acceptant.

vel eos ad salutem prædestinauerit. Atqui fides, vel meritum Christi, finali fide adprehensum &c. Ergo; vti argumentatur B. FRIDEMANNVS BECHMAN-NVS in *theol. polem.* p. 694. Ex his, opinor, satis constat, nihil hic dicere B. LVTHERVM, a publica nostræ ecclesiæ confessione alienum (vid. *libr. symb.* p. 618. 619. 620. *lin.* 1. 2. 3. 802. 803.) nihil, decretis synodi Dordracenæ consonum. Nam 1) nullum hic vestigium exstat *decreti* alicuius *absoluti*, quo Deus non-nulos a fide & remissione peccatorum excluderit, quod in synodo Dordracena stabilitur. (†) 2) Non dicit, *fidem esse electionis effectum*, vt Dordraceni statuunt, ac propterea Deum in electione hominum nullam fidei & meriti Christi rationem habuisse, sed pro absoluto suo beneplacito cuncta egisse adfirmant. (††) Qui enim dicit, *Deum certo & infallibiliter præuidisse* (id enim Luthero est prædestinare) qui vires credendi per *vrbum euangelii oblatas acceptaturi* sint, qui non: is longe distat ab eo, quidocet, *Deum, qui fidem in homine corrupto*

ne

(†) Vid. *Aetia synodi Dordracenæ*, ed. 1620. fol. part. I. p. 251.

(††) Vid. *Aetia*, part. I. p. 250. *Electio facta est non ex præuisa fide, sed ad fidem.* Part. II. p. 5. *Fides est fructus & effectus electionis.* Immo Part. II. p.

74. *ipse etiam Christus non electionis causa, sed effectus esse* dicitur. Non enim ideo, inquit, elegit nos Deus, quod Christus pro nobis moriturus erat, sed contra ideo Christus pro nobis mortuus est, quia Deus nos elegerat in ipso.

